DE

DECRETIS FUNCTORUM MAGISTRATUUM ORNAMENTIS

DE

DECRETA ADLECTIONE IN ORDINES FUNCTORUM MAGISTRATUUM

USQUE

AD MUTATAM DIOCLETIANI TEMPORIBUS REM PUBLICAM

ACCEDIT APPENDIX EPIGRAPHICA

HANC THESIM

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

PROPONEBAT

G. BLOCH

SCHOLÆ NORMALIS OLIM ALUMNUS

GALLICARUM SCHOLARUM QUÆ SUNT ROMÆ ET ATHENIS OLIM SOCIUS

LUTETIÆ PARISIORUM

APUD E. THORIN BIBLIOPOLAM ET EDITOREM

7, VIA DICTA DE MEDICIS, 7

MDCCCLXXXIII

DE

DECRETIS FUNCTORUM MAGISTRATUUM ORNAMENTIS

DE

DECRETA ADLECTIONE IN ORDINES FUNCTORUM MAGISTRATUUM

TOLOSÆ. — EX TYPIS A. CHAUVIN ET FILS, VIA DICTA DES SALENQUES, 28.

DE
DECRETIS FUNCTORUM MAGISTRATUUM ORNAMENTIS

DE
DECRETA ADLECTIONE IN ORDINES FUNCTORUM MAGISTRATUUM

USQUE

AD MUTATAM DIOCLETIANI TEMPORIBUS REM PUBLICAM

ACCEDIT APPENDIX EPIGRAPHICA

HANC THESIM

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

PROPONEBAT

G. BLOCH

SCHOLÆ NORMALIS OLIM ALUMNUS

GALLICARUM SCHOLARUM QUÆ SUNT ROMÆ ET ATHENIS OLIM SOCIUS

LUTETIÆ PARISIORUM

APUD E. THORIN BIBLIOPOLAM ET EDITOREM

7, VIA DICTA DE MEDICIS, 7

MDCCCLXXXIII

VIRO DOCTISSIMO ET BENIGNISSIMO

STVDIORVM MEORVM PRIMO FAVTORI

G. BOISSIER

HOC OPVSCVLVM

DICABAM

H. C.

MEMOR DISCIPVLVS

PRÆFATIO

De decretis functorum magistratuum ornamentis et de decreta adlectione in ordines functorum magistratuum quæstionem instituentibus, illud imprimis proponendum esse videtur quatenus quæstio ea patere debeat. De hujusmodi honoribus post Diocletiani et Constantini tempora duplicem ob causam dicere supersedemus : priorem quia, etsi non subito et penitus mutatam, tamen novam tunc rem publicam invenimus, dignamque quam peculiari cura et propria ferme commentatione illustremus; alteram, quia ex more illo ornamenta senatoria conferendi et in ordines magistratuum adlegendi omnia jam tum defluxerant quæ erant inde consecutura (1). Itaque de iis modo qui ante tertii sæculi finem memorantur ornamentis magistratuum vel lato clavo donati fuisse, vel in magistratuum ordines vel in amplissimum ordinem adlecti, disputationem hanc instauramus, neque intra descriptos fines versantibus deerit materia.

Auctoribus quidem plurimis succedimus quorum nomina sequuntur infra ordine temporum digesta, at licet ab illis multa posita sint quæ in commentationem hanc transferre, et veluti nostra facere, bona fide, debuimus, tamen operæ pretium videbatur rem haud parvi momenti altius inspicere et amplius explicare. Nam, cum apud ceteros ex occa-

(1) Accedit quod nuperrime res est optime tractata. Vide Mispoulet, *Les institutions politiques des Romains*, I, p. 343-352.

sione potius quam ex consilio in disquisitionem venisset, nunquam erat integra explorata, idque satis compertum habebamus quæ fuerit tales honores decernendi ratio, parum vero quo pertinuérint, quidve boni aut mali ex iis ad rem publicam provenerit.

De origine eorum primo dicimus. Etsi enim tantummodo post ætatem Augusti invaluerint, tamen sub fine libertatis fuerunt excogitati et nonnunquam adhibiti. Exempla colligendo inducti sumus ut quædam quæ in horum temporum historia perplexa videbantur sive expediremus, sive denuo tractaremus. Ita de extraordinariis honoribus Catoni et Octaviano decretis, nec non de iis qui a Cæsare dictatore largius impertiti sunt, agitatam jam ab aliis controversiam nos quoque repetivimus.

Est illud operis quasi proœmium, ex quo venimus ad eam nostrorum honorum speciem qualis sub principatu exstiterit. Parte secunda agitur de decretis magistratuum ornamentis. Cum enim aliud esset, exempli causa, prætoria ornamenta accipere, aliud inter prætorios adlegi, idque etiam longe præstantius haberetur, de iis qui ornamenta accipiebant erat prius dicendum. Qualia fuerint ea ornamenta, quidque honoris et utilitatis conferrent, subtilius definire aggressi sumus. Accedunt nonnulla de funere quod censorium dicebatur, de mutato consulari habitu, de jure sententiæ quod cum magistratus alicujus ornamentis adulescentibus domus Augusti aliquando decretum fuit.

Pars tertia de adlectione in ordines magistratuum, vel rectius eorum qui magistratibus functi erant, latius patet. De ornamentis quæstio simplex proponebatur. Qui enim functorum magistratuum ornamentis decorati erant, nihil ultra vacuam quamdam honoris imaginem accipiebant. Itaque satis erat de condicione eorum dixisse. Qui vero in ordines functorum magistratuum erant adlecti, iis non ornamenta modo, verum etiam jura omnia conferebantur quæ functis magistratibus competebant. Cum igitur adlectio

eorum, a principe decreta, ad rem publicam variis modis pertineret, quæstionem multiplicem hic habebamus. Nempe qui magistratu aliquo functi erant in senatu locum obtinebant, prout magistratus major vel minor fuerat, majorem vel minorem. De adlectis in ordines magistratuum idem valebat, ita ut manifestum sit principes, cum adlegendi jure potiti essent, de legendo senatu arbitrium prope infinitum sibi sumpsisse. Itaque locus erat inquirendi quo tempore principes cœpissent libere adlegere, quidque fuerit inde in senatus legendi ratione mutatum. Apparuit principes, ante Domitianum, nonnisi intra censuram susceptam facultatem habuisse in ordines magistratuum adlegendi. Tum quidem senatus ab ipsis senatoribus, cum ab iis magistratus crearentur, legebatur, at principes, in suffragiis senatorum ferendis, sive candidatorum nominatione, sive commendatione, plurimum poterant. Cum vero nominatio a principe ea fuerit quæ suffragia senatorum inclinaret potius quam cogeret, cumque præterea commendatio, etsi cogeret, tamen parcius impertita fuisse videatur, partem haud ita mediocrem in senatu legendo senatores retinebant. Ceterum legibus annalibus vetitum erat ne quis magistratum majorem peteret minorem nondum adeptus. Quare in senatu ad consularem locum nonnisi per prætorium, ad prætorium nonnisi per tribunicium sive ædilicium, ad tribunicium ædiliciumve nonnisi per quæstorium accessus patebat, neque ipsa principis commendatio, si modo intra normam voluntas ejus continebatur, poterat legitimum ordinem invertere. Quæ omnia mutata sunt postquam Domitianus cœpit censoriam potestatem perpetuam gerere, cum perpetuo adlegendi jure conjunctam. Duplex enim inde exstitit senatus legendi ratio, altera antiqua per magistratus gestos, partim ex senatorum, partim ex principis arbitrio, altera recentior, ex arbitrio tantum principis, per adlectionem in ordines functorum magistratuum. Licuit igitur principi quot quocumque tempore vellet senatores facere, neque in senatorio loco iis

assignando leges de ordine magistratuum respiciebat. Qui enim nunquam neque quæsturam, neque tribunatum vel ædilitatem gesserat, is poterat nihilominus, decreto principis, inter prætorios adlegi, sive, quod eodem recidebat, in senatu locum prætorium adipisci. Magna prorsus rerum mutatio neque modicum ad principis potentiam additamentum.

Ad publicam utilitatem transimus. Non quod infitiemur magnum vitium subesse ubi tot et tanta unius arbitrio essent commissa, at, cum nihil fere a principibus institutum tali vitio careat, haud scio an melius sit illud præterire et ad alia minus trita attendere. De magistratibus supplendis primo aliquid succurrit. Scilicet, cum ii tantum possent magistratum majorem legitime petere qui minorem gessissent, quæstorumque numerus, ut aliquid certum ponamus, prætorum numerum haud ita multo excederet, necessario accidebat, si qui interiissent, ut vix satis multi ad præturam apti adessent. Quid quod senatorum judiciis nunquam satis magnus delectus præstabatur? Ex quo vero, præter viginti homines qui quæsturam vere gesserant, tot quæstorii, quot principi placuerat, creabantur, eadem ac ceteri jura obtinentes, de magistratibus supplendis erat provisum, itemque de senatoriis muneribus, de legationibus, de proconsulatibus, de curationibus, quæ hominibus magistratu functis, sive quæstoriis, sive tribuniciis et ædiliciis, sive prætoriis, sive consularibus mandabantur. Quæ quidem ita magno numero erant, ut non inutile fuerit iis qui magistratus vere gessissent alios accedere qui gessisse putarentur.

At majores etiam fructus ex adlegendi more res publica percipiebat. Notum est quantum in legendo senatu principes laboraverint, sive quia equestria munera anteponerentur, sive quia publicarum rerum incuria magis ac magis glisceret. Notum est quoque quantum vetus illa nobilitas fuerit cædibus extenuata et negligentia contaminata, quan-

tumque oportuerit exhausto illi quasi corpori vires subministrare. Multum ad hoc adlegendi jus principibus permissum proderat. Ex equestri enim ordine in senatum adlegebant, ita ut equester locus seminarium senatorum nunquam verius dici potuerit (1). Adlectos autem ex equestri ordine in duo genera distribuimus, qui procurationibus vel equestribus militiis functi erant, et qui ex municipalibus honoribus erant ad honores senatorios provecti. De his præsertim ita ampla materies obversabatur ut esset potius intra certos fines circumscribenda quam latius explicanda. Est enim ea quæstio cum quæstione de propagatione civitatis romanæ connexa, qua nulla est in rebus romanis obscurior simulque majoris momenti. Nempe, cum neque provinciæ omnes ante tertium post Ch. n. sæculum civitate fruerentur, neque ii ipsi qui civitatem adepti erant in communionem honorum ideo venissent, necesse erat ut provinciales homines principum voluntate, atque etiam sæpius invito senatu, in senatum adlegerentur. Seponendi qui ex Italicis municipiis adlecti civitatem integram jampridem obtinebant, quamvis ii quoque principum voluntati nonnihil debuissent. Etenim, non ex provinciis tantum, verum ex Italia quoque inopiæ senatus est subventum, neque improspere, siquidem constat industriam animi morumque gravitatem, Romæ desuetam, in Italicis municipiis, haud secus ac in provinciis, velut perfugium habuisse. Argumento est Vespasiani et Titi censura quæ, omnem municipiorum florem in senatum evocando, « beatissimi sæculi ortum » auspicata est.

Adlectis in ordines magistratuum eos adjungimus qui dicuntur in amplissimum ordinem adlecti, simulque eos qui dicuntur lato clavo ornati. Qui, cum magistratum nullum gessisse putarentur, in curia quidem locum sententiamque non habebant, at erant illi in senatorium ordi-

(1) Lamprid., *Alex. Sever.*, 19.

nem admissi, hi prope eundem collocati, donec ipsi, tempore procedente, admissi fuerint. Ex quo enim decretum erat ut senatorum liberi, etiamsi magistratus non attigissent, latum clavum gererent et nonnullas præterea immunitates obtinerent, modo essent censu senatorio, ex senatu senatorius ordo cœpit efflorescere qui paulatim per orbem romanum propagatus est. Quod quomodo factum sit probe intelligitur si, senatorum liberis non modo addiderimus eos qui in senatorium ordinem sive inter clarissimos viros erant adlecti, verum eos quoque qui ornamenta magistratuum, vel ornamenta senatoria sive latum clavum acceperant, id est equites illustres sive dignitate senatoria. Itaque evenit ut, talium hominum numero magis ac magis increscente, quarto et quinto post Ch. n. sæculo, tam multi senatores per provincias reperirentur, et ipse equester ordo videatur tunc in senatorium ordinem tanquam effusus excidisse.

Appendicem denique damus eos ordine temporum, quoad licuit, percensendo qui traduntur hujusmodi honoribus decorati fuisse, exceptis tantum qui, ornamenta magistratuum adepti, in secunda opusculi nostri parte, singuli memorantur. Qui omnes ex titulis præsertim innotuerunt, ut res epigraphica, quæ tot et tanta jam ad hujus ætatis historiam conscribendam contulit, ad commentationem quoque nostram illustrandam potissimum valuerit.

SEQUUNTUR NOMINA EORUM QUI HUJUSCE COMMENTATIONIS MATERIAM ANTEA TRACTAVERUNT.

MARINI. — *Atti e monumenti de' fratelli Arvali.* Roma, 1795, Parte seconda, p. 727-729.

NAUDET. — *Des changements opérés dans toutes les parties de l'administration de l'empire romain sous les règnes de Dioclétien, de Constantin et de leurs successeurs jusqu'à Julien.* Paris, 1817, t. I, p. 248-250.

A. W. ZUMPT. — Rheinisches Museum. 1843, t. II. *Honorum gradus sub Hadriano et Antonino Pio*, p. 267-276.

IDEM. — *Commentationum epigraphicarum ad antiquitates romanas pertinentium volumen I.* Berolini, 1850. De adlectis, p. 125. De ornamentis, p. 134.

NIPPERDEY. — *Die Leges Annales der Römischen Republik.* Leipzig, 1865. *Zweiter Anhang. Die dem Octavian im Jahre 43 vor seiner Wahl zum Consul ertheilten ausserordentlichen Ehren. Die ornamenta consularia, prætoria u. s. w., das sententiam dicere und allegi inter consulares, prætorios u. s. w.*, p. 69-88.

DAREMBERG ET SAGLIO. — *Dictionnaire des antiquités grecques et romaines.* Humbert. Articles *Adlecti*, *Adlectio*.

MOMMSEN. — *Handbuch der Römischen Alterthümer. Römisches Staatsrecht.* Erster Band, Zweite Auflage. Leipzig, 1876. *Ehrenrechte der fictiven Magistratur und des fictiven Triumphs (ornamenta)*, p. 439-450. — Zweiter Band. II Abtheilung, 1877. *Bestellung der Beamten*, p. 877-896. *Bestellung der Senatoren*, p. 896-907.

OTTO HIRSCHFELD. — *Untersuchungen auf dem Gebiete der Römischen Verwaltungsgeschichte.* Erster Band, *Die kaiserlichen Verwaltungsbeamten bis auf Diocletian.* Berlin, 1876. *Die procuratorische Carriere*, p. 240-280.

FUSTEL DE COULANGES. — *Histoire des institutions politiques de l'ancienne France.* Première partie, 2e édit. Paris, 1877. *La noblesse dans l'empire romain*, p. 275-286.

WILLEMS. — *Le Sénat de la République romaine. Sa composition et ses attibutions.* Tome I. Louvain, 1878 (Paris, A. Durand et Pedone-Lauriel), chap. IV, § 3, article 3. *Des ornamenta et des onera senatoria*, p. 145-151. — Appendice. *Ornamenta consularia, prætoria; sententiam dicere loco prætorio, consulari; allegi inter prætorios, consulares*, p. 626-633. — Vide etiam, p. 600, n. 4.

IDEM. — *Le droit public romain depuis la fondation de Rome jusqu'à Justinien, ou les antiquités romaines envisagées au point de vue des institutions politiques.* Quatrième édition. 1880. Louvain-Paris. Deuxième époque. Livre II, section II, ch. II, § 1. *La composition du Sénat*, p. 441-445.

FRIEDLÆNDER. — *Darstellung aus der Sittengeschichte Roms in der Zeit von August bis zum Ausgang der Antonine.* Fünfte Auflage. Leipzig, 1881. Erster Band. III. *Die drei Stände. Die Senatoren*, p. 239, 240 et passim.

MISPOULET. — *Les Institutions politiques des Romains, ou exposé historique des règles de la constitution et de l'administration romaines depuis la fondation de Rome jusqu'au règne de Justinien.* Tome I. Paris, 1882, ch. X, § 63. *Le Sénat*, p. 258-266. Ch. XIV, § 80. *Le Sénat*, p. 343-352.

DE

DECRETIS FUNCTORUM MAGISTRATUUM ORNAMENTIS

DE

DECRETA ADLECTIONE IN ORDINES FUNCTORUM MAGISTRATUUM

PARS PRIMA SIVE PROŒMIUM

Unde ratio exstiterit functorum magistratuum ornamenta conferendi et in ordines functorum magistratuum adlegendi.

CAPUT PRIMUM.

DE EXEMPLIS QUÆ ANTE CÆSARIS DICTATURAM REPERIUNTUR.

Rem a principio repetamus. Apud Cassium Dionem id legimus : « Denique tanta cura tum temporis Romani caverunt ne quis largitionibus se corrumpi sineret, ut, præter pœnas quas ejus rei convictis infligebant, accusatoribus etiam honores tribuerent. Itaque, cum M. Cotta quæstorem suum P. Oppium, quem peculatus et insidiarum suspectum habebat, dimisisset, ipse autem magnam vim pecuniæ ex Bithynia corrasisset, C. Carbonem, qui eum accusaverat, licet tribunatu plebis tantummodo functum, consularibus ornamentis donaverunt. Atque ipse deinde, cum Bithyniam

provinciam obtineret, neque moderatius se gessisset, ab Cottæ filio in judicium vicissim tractus est idemque oppressus (1). »

Erravisse hoc loco Dionem Nipperdæus contendit, cujus argumentationem, etsi levem, tamen prætermittere non possumus (2). Nempe objicit decretos Carboni honores inusitatos libera re publica fuisse neque ante Cæsaris dictaturam adhibitos, quod Suetonius testetur his verbis : « Eadem licentia, spreto patriæ more, magistratus in plures annos ordinavit, decem prætoriis viris consularia ornamenta tribuit (3). » De Suetonio infra dicimus. At, cum eodem loco cetera omnia integra fide Dio enarraverit, parum credibile est luculentum alias auctorem in hoc tantummodo erravisse. M. Aurelium Cottam anno 680 U. C. = 74 in Bithyniam a senatu missum fuisse cum mandato ut bellum Mithridati inferret, Romamque reversum post Heracleam captam anno 685 U. C. = 69 ex fragmentis Memnonis apparet (4). Et ipsam accusationem a C. Papirio Carbone Cottæ illatam sententiamque quæ consecuta est satis ample Memno rettulit (5). Item quod de Carbone Bithyniæ propraetore Dio superaddidit cum Bithyniæ proprætorum serie, qualis a Borghesio constituta fuit, optime congruit. Caium enim Papirium Carbonem pro prætore Bithyniæ fuisse annis 693 U. C. = 61, 694 U. C. = 60, 695 U. C. = 59 Borghesius ex nomismatibus demonstrat (6).

C. Th. Zumptius, in dissertatione quæ inscribitur de legibus judiciisque repetundarum (7), cum ipse opinetur Dionem erravisse, unde ejus error provenerit explicare aggressus, fingit Carbonem consularibus ornamentis minime donatum fuisse, at tribunicium necdum prætorium, in Bithyniam pro consule extra ordinem missum fuisse. Quam opinionem Nipperdæus refutavit annos commemorans quibus Carbo Bithyniæ præpositus fuerit. Cum enim hæc provincia quinquennio post diem Cottæ dictam ei fuerit decreta, seram sane mercedem accepisset, abolita jam aut certe obsoleta hujus litis memoria. Immo credibile est Carbonem, hoc quinquennii intervallo, ad præturam pervenisse. Tribunicius enim erat cum

(1) XXXVI, 38. édit. Gros Boissée. Anno 687 U. C. = 67. Vide Borghesium, Op. II, p. 355.

(2) *Die leges annales. Zweiter Anhang.*, p. 74.

(3) *Cæs.* 76.

(4) § 37-59. *Fragmenta historicorum græcorum*, III. Didot.

(5) § 59.

(6) *L. c.* Neque magis de Oppio ementitus est. Vid. Drumann, V, p. 343.

(7) *De legibus judiciisque repetundarum in republica romana commentationes duæ.* Berolini, 1845, II, p. 57.

Cottam accusaret, neque lege Cornelia de magistratibus, quæ tum vigebat, plus quam biennii intervallum inter utrumque magistratum exigebatur (1). Neque eo minus Nipperdæus conjicit Carboni subito, post litem dijudicatam, aliam nescio quam provinciam decretam fuisse, verum sunt ea quæ redarguere nihil attinet.

Cum igitur comprobatum sit Dionem cetera omnia vera rettulisse, neque ratio ulla inveniatur explicandi unde error de consularibus ornamentis exstiterit, restat ut statuamus consularia ornamenta Carboni reapse collata fuisse. Quod quidem loco illi Suetonii non adeo repugnat. Nimium enim foret ex his verbis : « spreto patriæ more » concludere nihil unquam tale prius factum esse, neque etiam, si tale aliquid semel vel bis factum fuisset, Suetonii verbis sua omnino vis esset adempta. Præterea notandum est neque populi decreto, neque senatusconsulto, verum dictatoris edicto, consularia ornamenta collata fuisse, eademque non uni et alteri, sed decem simul prætoriis. Ex quo intelligi potest cur novum aliquid et plane inauditum Cæsar perpetrasse visus sit.

Ceterum quod Nipperdæus prætendit, nullum aliud talis honoris exemplum libera re publica occurrere, haud ita comprobatum est. Apparet contra in usum jam venisse dignitatis alicujus insignia sine dignitate ipsa conferre. Omittamus quidem quod apud majorem Plinium deprehendimus, Cnæum quemdam Petreium Atinatem, primipilum, ob rem bello Cimbrico fortiter gestam, « adstantibus Mario et Catulo coss. (652 u. c. = 102) prætextatum immolasse ad tibicinem foculo posito (2). » Prætexta enim sacerdotes inter sacra utebantur, ut is sacerdotum insignia potius quam magistratuum gesserit (3). At comperimus apud Ciceronem Cn. Cornelium Lentulum et Cn. Gellium censores, cum asperam illam senatus lectionem anni 684 u. c. = 70 agerent, P. Popillium quemdam, quod esset libertini filius, non legisse, locum ei senatorium ludis et cetera ornamenta reliquisse (4). Quibus exemplis aliud addendum succurrit multo illustrius, Catonis scilicet Uticensis.

Notum est Catonem, lege a P. Clodio tribuno plebis, lata,

(1) Momms., *Staatsr.*, I, p. 513-515.

(2) *H. N.*, XXII, 6, Detlefsen.

(3) Momms., *Staatsr.*, I, p. 406.

(4) *Pro Cluentio*, 47. Willems. *Sénat*, I, p. 148, n. 7. Idem jure animadvertit (*l. c.*) de L. Flaminino rem aliter sese habere qui, cum a M. Catone et L. Flacco censoribus senatu motus esset (570 u. c. = 184), extrema ex parte theatri in locum dignitati suæ debitum transire a populo coactus est (Val. Max., IV, V. I. Plut., *Cato maj.*, 17. *Quinct. Flamin.*, 19). Neque enim lege ratum erat quod populus hac die acclamaverat, neque locus in theatro consularis cetera consularia ornamenta comprehendebat.

L. Calpurnio Pisone A. Gabinio coss. (696 u. c. = 58), legationis specie, ut res plurimas in Oriente ordinaret, ab Urbe fuisse relegatum (1). Redeunti anno 698 u. c. = 56 senatus ovans gratulansque obvius iit honoresque extraordinarios sive decrevit, sive decernere in animo habuit, quos Cato eximia modestia repudiavit. Quales fuerint, multum ambigitur. Apud Cassium Dionem legimus consules rettulisse ut prætura ei daretur quam leges nondum concedebant (2). Atque idem Plutarchus tradidit, non sine additamento quod notatione dignum est : « Senatus convocatus, præter debitas laudationes, decrevit ut Catoni prætura extra ordinem daretur, simulque facultatem haberet ludos cum prætexta spectandi (3). » His verbis Dionem et Plutarchum minime diligenter rem tradidisse liquet, cum magistratus darentur a populo in comitiis, senatui tantum liceret concedere ut ante tempus legitimum peterentur, caperentur, gererentur (4). Rectius igitur et aptius, præter solitum, apud Valerium Maximum : « Cujus ministerii gratia senatus relationem interponi jubebat, ut prætoriis comitiis extra ordinem ratio ejus haberetur. » At quæ sequuntur minus probabilia sunt : « Sed ipse id fieri passus non est, iniquum esse affirmans quod nulli alii tribueretur sibi decerni, ac, ne quid in persona sua novaretur, campestrem experiri temeritatem quam curiæ beneficio uti satius esse duxit (5). » Quibus verbis Valerius significare videtur præturam Catoni a senatu oblatam fuisse, quod neque cum reipublicæ more, neque cum supra dictis : « Ut prætoriis comitiis extra ordinem ratio ejus haberetur » facile congruit. Præstat igitur posteriora verba omittere et ad priora tantum attendere, quorum interpretatio haud dubia succurrit Catoni facultatem concessam fuisse præturæ ante legitimum tempus petendæ. Itaque operæ pretium erit inquirere num alicujus opportunitatis talis facultas Catoni esse videretur. Dicitur Cato apud Livium (6), nec non apud Plutarchum (7), annum agens ætatis quadragesimum octavum decessisse, anno 708 u. c. = 46, mense aprili (8). Natus erat

(1) Drumann, V, p. 166, etc.

(2) XXXIX, 23 : « στρατηγίαν αὐτῷ δοθῆναι καίπερ μηδέπω ἐκ τῶν νόμων προσήκουσαν. »

(3) *Cato min.*, 39 : « στρατηγίαν ἐξαίρετον δοθῆναι καὶ τὰς θέας αὐτὸν ἐν ἐσθῆτι περιπορφύρῳ θεάσασται. »

(4) Momms., *Staatsr.*, I, p. 452.

(5) IV, I, 14.

(6) Periocha, 114.

(7) *Cato min.*, 73.

(8) Paucis diebus post pugnam apud Thapsum quæ a. d. VIII. Idus apriles commissa est. Vid. Ovid., *Fast.*, IV, 379.

igitur sive ante mensem aprilem anni 660 U. C. = 94, sive post mensem aprilem anni 659 U. C. = 95, at, cum quæsturam gesserit Q. Lutatio Catulo M. Licinio Crasso censoribus (1), anno scilicet 689 U. C. = 65 (2), eandem anno 688 U. C. = 66 nonis decembribus susceperit (3), neque liceret quæsturam ante annum ætatis tricesimum adipisci (4), statuere possumus eum anno 659 U. C. = 95 natum fuisse, quæsturam autem gessisse anno tricesimo nondum expleto, unde apparet jam eo tempore in usum venisse ut annus inchoatus pro expleto putaretur (5). Quod si enim anno 660 U. C. = 94, post kalendas januarias, natus esset, nonis decembribus anni 688 U. C. = 66 esset annum ætatis vicesimum nonum, non tricesimum, ingressus. Quæ cum ita essent, nullum impedimentum erat quin, ex Asia rediens, anno 698 U. C. = 56, præturam legitime peteret, ad quam licebat anno ætatis quadragesimo accedere (6). Comitia enim prætoria non ante mensem Julium, vel, ut melius dixerimus, Quintilem habebantur (7), cum Cato jam annum ætatis quadragesimum inchoasset. Et jam, decennio ante, comitia quæstoria, quæ eadem fere tempestate, post exiguum modo intervallum, haberi solebant (8), adiverat, annum ingressus ætatis tricesimum. Licet quidem suspicari hoc eodem intervallo diem Catonis natalitium interpositum fuisse, ita ut nihilominus in comitia prætoria legibus annalibus solvi debuerit. Apud Mommsenum eam quoque conjecturam invenimus Catonem serius ex Asia rediisse quam ut præturam petiturus nomen ipse præsens, intra legitimos dies, profiteri potuisset, quare senatum jussisse ne consules ideo nomen ejus accipere recusarent (9). Neque infitias imus alterutrum fieri potuisse, quod si tamen factum non fuerit, quo pertineret prior senatusconsulti pars nullo modo intelligere nos fatemur. Utcumque sit, restat ad alteram transeamus, quam Plutarchus rettulit, de facultate ludos cum prætexta spectandi. De qua rectius dijudicatum erit si reputaverimus, quod postea demonstrabitur, prætoribus quidem licuisse magistratus anno prætextam perpetuo gerere, at eandem iis qui prætura

(1) Plut., *Cato min.*, 16.
(2) Boor, *Fasti censorii*, p. 27.
(3) Momms., *Staatsr.*, I, p. 585.
(4) *Ibid.*, 548, etc.
(5) Vide de hoc Momms., *ibid.*, p. 552 et 554
(6) *Ibid.*, p. 548, etc.
(7) *Ibid.*, p. 565.
(8) *Ibid.*, cf. p. 561.
(9) *Ibid.*, p. 551, n. 2

functi essent vel qui ornamenta prætoria accepissent certis tantum diebus, inter sollemnia aliqua, permissam fuisse (1). De prætoriis igitur ornamentis senatum decrevisse compertum tenemus, nisi potius, sicut Willemsio visum est (2), omissis ceteris, unum illud, quod nuncupatur, tribuerit. Atqui fatendum est Willemsii opinionem cum Plutarchi testimonio ad litteram consentire, verum, ut plane comprobata videatur, haud scio an necesse sit de prætura ante tempus petenda senatus simul decreverit. Quod si enim non decrevisset, quærendum nobis foret unde illud de prætura decreta historiarum scriptores excogitaverint, neque alia melior explicandi ratio succurreret quam si diceremus præturam pro prætoriis ornamentis ab iis usurpatam fuisse. Neque etiam tunc illud expeditum haberemus cur, prætoriis ornamentis decretis, unum placuerit præ ceteris commemorari. Itaque, compositis omnibus et diligenter compensatis, præstabit Willemsii opinionem cum Mommseni vel etiam nostra de die natalitio conjectura connectere, eritque ea demum de perplexa controversia sententia, duo hæc esse data Catoni, primo ut præturam, ante legitimum tempus, sive extra legitimos dies, peteret, secundo, ut ex prætoriis ornamentis unum jam inde adipisceretur, quo vel petitionis fructum antecaperet, vel immeritam solaretur repulsam.

Prætoria ornamenta solida Catoni decreta fuisse Langius (3) existimat, de quo pauca dicenda sunt. Contendit primo nullo modo a senatu de prætura ante tempus petenda decretum fuisse, illud afferens, Catonem, cum senatus beneficio uti noluisset, tamen in annum 699 u. c. = 55 præturam, frustra quidem, petiisse, unde perspicuum sit nihil tale beneficium profecturum fuisse, si concessum esset (4). At notum est comitia in annum 699 u. c. = 55 non potuisse anno 698 u. c. = 56 tempore legitimo haberi, et usque in annum insequentem fuisse dilata (5), ita ut Pompeius et Crassus ineunte anno 699 u. c. = 55 per interregem consules creari debuerint (6). Atque hi consules facti impediverunt ne Cato prætor in eundem annum crearetur (7). Immo, comitia prætoria

(1) Vide partem secundam, caput primum.

(2) *Sénat*, I, p. 628, n. 3.

(3) *Römische Alterthümer*, III, § 155, p. 326. Berlin, 1871.

(4) Idem apud Nipperdæum (*Die leges annales*, p. 61) et apud Hölzlum (*Fasti prætorii*. Lipsiæ, 1876, p. 67) invenimus.

(5) Cass. Dio, XXXIX, 27-30. De ἀναρχίᾳ hujus temporis vide apud Langium. *Ibid.*, p. 326-329.

(6) Cass. Dio, *ibid.*, 31.

(7) *Ibid.*, 32. Plut., *Cato min.*, 42.

non ante mensem Maium anni 699 u. c. = 55 habita fuisse ex epistula Ciceronis ad Quintum fratrem apparet (1). Nihil igitur ad rem interest Catonem in annum 699 u. c. = 55 petiisse, cum serius justo petere licuerit. Non majoris momenti est quod Langius de quodam Ciceronis loco in oratione pro Balbo ratiocinatur. Ita Cicero : « Objectum est etiam quod in tribum Crustuminam pervenerit (Balbus), quod hic assecutus est legis de ambitu præmio, minus invidioso quam qui legum præmiis prætoriam sententiam et prætextam togam consequuntur (2). » Opinatur Langius his verbis ad Catonis extraordinarios honores alludi. Scimus quidem orationem pro Balbo anno 698 u. c. = 56, post mensem Maium (3) atque ante Septembrem (?), habitam fuisse, eodemque tempore simultates quasdam Catoni et Ciceroni intercessisse, cum Cato negavisset rescindi debere quæ in Clodii tribunatu acta fuissent (4). At de Catone hic non agitur. Quicumque enim Ciceronis locum attente perlegerit satis perspectum habebit eos carpi qui præmia legibus de ambitu accusatoribus proposita adipiscebantur. Atque inde ad ejusmodi honores regressi sumus quos accusatores ab iis quos oppresserant, tanquam spolia, referebant. Ut de senatoriis modo dicamus, si quis, magistratus designatus, ambitus damnatus esset, comitia denuo instaurabantur, et plerumque accidebat ut accusator, idemque prius competitor, in honorem damnati suffragio populi succederet. Ita P. Autronio Pæto et P. Cornelio Sulla ambitus damnatis, cum consules designati essent, L. Aurelius Cotta et L. Manlius Torquatus accusatores in eorum locum lecti sunt (688 u. c. = 66) (5). Vide quoque epistulam Cælii ad Ciceronem : « Illud te non arbitror miratum, Servium, designatum tribunum plebis, condemnatum; cujus in locum C. Curio petiit (6). » At non de magistratu modo qui ambitus damnatus erat dejiciebatur, sed etiam de dignitate senatoria omnibusque ornamentis. Exemplum habemus ipsius P. Cornelii Sullæ modo memorati cujus fortunam eversam his verbis miseratur Cicero : « Omnia generis, nominis, honoris insignia atque ornamenta unius judicii calamitate occiderunt (7). » Erant ea,

(1) II, 9.
(2) 25.
(3) Drumann, II, p. 598, etc. Post orationem de provinciis consularibus (vid. c. 27) eodem anno ad finem mensis Maii habitam (*ad famil.*, I, 7). Ab mense Septembri judicia erant ludis fere intermissa. (*In Verr.* I, 10.)
(4) Plut., *Cato min.*, 40.
(5) Cass. Dio, XXXVI, 42.
(6) *Ad fam.*, VIII, 4.
(7) *Pro Sulla*, 31.

non generis quidem ac nominis (1), sed honoris insignia ornamentaque quæ accusatori, sine populi suffragio aut senatusconsulto, ipso facto, competebant, modo ipse senator esset, sicut in lege coloniæ Juliæ Genetivæ invenimus : « *Si quis decurio c(oloniæ) G(enetivæ) decurionem c(oloniæ) G(enetivæ) h(ac) l(ege) de indignitate accusabit, eum [que] quem accusabit eo judicio h(ac) l(ege) condemnarit, is qui quem eo judicio ex h(ac) l(ege) condemnarit, si volet in ejus locum qui condemnatus erit sententiam dicere, ex h(ac) l(ege) liceto itque eum s(ine) f(raude) s(ua) jure lege recteque facere liceto, ejusque is locus in decurionibus sententiæ dicendæ rogandæ h(ac) l(ege) esto* (2). » Quæ cum ita sint, novum argumentum colligimus de consularibus ornamentis C. Papirio Carboni anno circiter 687 U. C. = 67 decretis. Nempe M. Aurelius Cotta erat ab anno 680 U. C. = 74 vir consularis, neque tantum legibus de ambitu, verum etiam de repetundis eadem esse præmia proposita ex Cassio Dione deprehendimus (3).

(1) Generis ac nominis ornamentis jus imaginum intelligimus, anulum aureum, etc., quæ damnato quidem adimebantur (de jure imaginum vide *l. c. pro Sulla*, 31), at non poterant accusatori transferri, cum is utpote senator anulum haberet, et proprias majorum imagines.

(2) *Ephem. epigr.*, II, 1874, p. 113, CXXIIII.

(3) XXXVI, 38.

CAPUT SECUNDUM.

DE EXTRAORDINARIIS HONORIBUS A CÆSARE DICTATORE DECRETIS.

Quæ supra posita sunt colligentibus apparet honores de quibus agimus ab legibus originem sumpsisse quibus, post Sullæ tempora, constitutum erat ut, si quis senator senatorem de indignitate accusatum oppressisset, in ejus locum succederet. Atque inde factum est ut loci cujusdam senatorii ornamenta nonnullis aliquando tribuerentur, sive præmii causa, sive solacii pro dignitate adempta, modo hi in numero senatorum essent vel unquam fuissent inscripti. Neque enim talis beneficii plus quam duo exempla reperimus, alterum Catonis tribunicii, alterum P. Popillii a censoribus anni 684 u. c. = 70 moti, illudque præterea notandum est neque Catoni neque Popillio ornamenta solida contigisse, cum ille ex prætoriis ornamentis prætextam tantum accepisset, hic esset ipso facto sententiæ jure interdictus. Itaque haud immerito dixerimus neminem potuisse, hac ætate, loci cujusdam senatorii ornamenta solida aliter consequi quam si, ipse senator, per leges de ambitu, de repetundis, similesque alias ea esset consecutus.

Ad Cæsaris dictaturam venimus qui, cum tot et tanta quæ suis ante victoriam relatam pollicitus erat solvere deberet, neque satis haberet consules suffectos instituisse (1), prætorum (2), ædilium (3), quæstorum (4) numerum ampliasse, curiam peregrinis (5), centurionibus (6), libertinis (7) replevisse, ornamenta

(1) Suet., *Cæs.*, 76. 80. Cass. Dio, XLIII, 46.
(2) Suet., *ibid.*, 41. Cass. Dio, XLII, 51, XLIII, 47, 49.
(3) Suet., *ibid.*, Cass. Dio, XLIII, 51.
(4) Suet., *ibid.*, Cass. Dio, XLIII, 47.
(5) Willems, *Sénat*, I, p. 596-597.
(6) *Ibid.*, p. 594.
(7) *Ibid.*, p. 593.

quoque magistratuum immodice largitus est. Prædicatus est supra Suetonii locus : « Eadem licentia, spreto patriæ more....., decem prætoriis viris consularia ornamenta tribuit. » Aliter apud Cassium Dionem : « Multos quoque in patriciorum, consularium eorumque qui alios magistratus gesserant ordines adlegit (1). » Quibus verbis Dionem cum Suetonio pugnare arbitratus est Nipperdæus, vel potius diversa apud utrumque commemorari ita ut alter alteri quasi supplementum ministrare possit. De ornamentis enim apud Suetonium. De adlectione apud Dionem. Si quis inquirat cur de adlectis in ordines magistratuum Suetonius reticuerit, reputet minus sane invidiosum visum esse ornamenta cum ceteris juribus quæ magistratu revera functis competerent concedi, quam eadem ad vanitatis tantum oblectationem projici. Rursum, quod Dio consularibus ornamentis donatos adlectosque in ordinem consularium una complexus sit, tanquam si minime discreparent, nemo miretur, cum discrimen inter utrosque, tertio post. Ch. n. sæculo, minus diligenter servaretur. Hæc Nipperdæus (2), quibus assentit Mommsenus (3), contradicit vero Willemsius, asseverans discrimen illud serius tantum exstitisse idemque fuisse, hac tempestate, consularibus ornamentis donari vel inter consulares adlegi, neque etiam hæc verba : « Adlegi inter consulares vel inter prætorios, etc. » tunc in usum venisse, ita ut in hoc modo Dio peccaverit, quod ea præmature usurpaverit. Argumentum affert libera re publica atque etiam Augusti temporibus ornamenta magistratuum nemini decerni fuisse solita qui non antea in senatum admissus esset, vel qui non simul admitteretur, itaque ornamenta vel prætoria vel consularia tunc fuisse cum sententia vel consulari vel prætorio loco dicenda conjuncta, unde manifestum fiat cur ornamenta pro loco, locum pro ornamentis apud eos qui hujus ætatis historias conscripserint assidue nuncupata inveniamus; ceterum, ut consentiamus senatores ex inferiore loco in superiorem adlectos iis præstare qui ejusdem loci ornamenta accepissent sic ut possent altiores magistratus inde petere, id nihil ad eos pertinere qui consularibus ornamentis donati essent, cum nullus superesset ultra consulatum magistratus petendus (4). Quæ argu-

(1) XLIII, 47 : « πολλοὺς δὲ καὶ ἐς τοὺς εὐπατρίδας τούς τε ὑπατευκότας ἢ καὶ ἄλλην ἀρχήν τινα ἄρξαντας ἐγκατέλεξεν. » Conjecturam Nipperdæi sequimur « ἢ καὶ ἄλλην ἀρχήν, » p. 78.

(2) P. 78, 79.

(3) *Staatsr.*, I, p. 445, n. 3.

(4) *Sénat*, I, p. 629, etc.

mentatio nobis claudicare videtur, non quod negemus ornamenta esse senatoribus cum sententiæ loco conjuncta, verum ita ratiocinatur Willemsius quasi apud Dionem haud secus ac apud Suetonium de decem prætoriis viris, sive inter consulares adlectis, sive ornamenta consularia adeptis, unice mentio facta esset. Quod si autem ad Dionis locum recurrimus, cognoscimus eum de adlectione plurimorum, non inter consulares modo, sed inter ceteros etiam magistratuum ordines, locutum esse. Itaque haud ita comprobatum habemus Cæsaris dictatura adlectionem et ornamenta eodem recidisse, cum, ex omnibus exemplis quæ deprehenduntur, constet eum qui inter prætorios fuisset adlectus posse consulatum petere, qui ornamentis prætoriis tantum esset donatus non posse (1). Neque cuiquam mirum videbitur Cæsarem, cum tot hominibus gratum animum approbare deberet, non ornamenta modo magistratuum, quod jam antea usurpatum erat, distribuisse, verum etiam honorem novum excogitavisse in ordines magistratuum adlegendo. Intelligimus nunc cur consularibus ornamentis donatos pro adlectis inter consulares Suetonius posuerit. Nempe diverso vocabulo idem significatum erat. At, non potuisset item prætoriis ornamentis donatos pro adlectis inter prætorios ponere. Restat quidem ut Dionem suspicemur rem improbe tradidisse, verum ea mera et gratuita conjectura foret. Neque magis ratum erit si dixerimus morem, quem postea exploratum tenemus, nondum invaluisse nihilque tunc inter decreta prætoria ornamenta decretamque adlectionem in prætorios interfuisse. Res enim usque dissimiles non est quare hac potius ætate permisceamus. Erunt forsitan qui objiciant adlectione in minores magistratuum ordines Cæsarem non indiguisse, cum jure potiretur legibus annalibus solvendi eodemque frequentius usus sit (2), at imperatoribus quoque jus illud competebat usurpabaturque (3), neque eo minus inter quæstorios, tribunicios, prætorios adlegebant.

Quæstio proponitur quo jure Cæsar tales honores detulerit. Ornamenta magistratuum a senatu, non modo liberæ rei publicæ temporibus, quod antea compertum fuit, sed etiam sub principatu, quod alibi manifestum erit, decernebantur. Inde forsitan existimabit aliquis sub Cæsare quoque ornamenta penes senatum fuisse, ita vero ut quæ senatus jubente Cæsare decrevisset, a Cæsare ipso haud immerito decreta dicerentur. De quo nihil

(1) Vide partem secundam, caput tertium.
(2) Willems, *Sénat*, I, p. 589-591.
(3) Momms., *Staatsr.*, I, p. 558, n. 1.

affirmare ausim, quanquam turbulentissima hujus temporis res publica, in qua nullus legibus locus, ab ea quam Augustus postea condidit, rebus compositis, multum discrepat. Neque hoc etiam mente excidere debet quam aperte Cæsar, quam timide et caute Augustus ad regiam potestatem progressus sit. Præterea non mirum sane habebatur eundem qui magistratus ad arbitrium creandi sibi jus assumpsisset (1) ornamenta quoque magistratuum conferre.

De adlectione, si qua fuit, opinionem Nipperdæus protulit (2) quam operæ pretium erit obiter refutare. Quippe opinatur eadem lege Cassia, quam Tacitus memoravit (3), de patriciis sublegendis, etiam adlegendi in magistratuum ordines, immo legendi in senatum facultatem fuisse Cæsari permissam. Nulla autem erat adlectioni in senatum cum adlectione inter patricios conjunctio, nisi fortasse qui inter patricios adlecti essent in senatum deinde adlegerentur (4). Inter patricios adlectio, post gentem Claudiam initio libertatis vel potius sub regibus adlectam, invenitur nulla. Ceterum nonnisi per comitia curiata plebeii homines poterant inter patricios adlegi, rectius dixerimus cooptari (5). Extremis tantum liberæ rei publicæ temporibus, paucis jam reliquis familiarum quæ ad patricias dignitates unice aptæ habebantur, novum illud inter patricios adlectionis genus exstitit, lexque quædam Cassia lata est qua Cæsar dictator patricios crearet. Idem fuit postea Augusto lege Sænia permissum. De lege Cassia nihil novimus præter quod a Tacito relatum est (6). Hoc unum conjici potest L. Cassium Longinum, qui anno 710 u. c. = 44 tribunatum plebis obtinuit (7), legis latorem fuisse. Ad legem Sæniam monumento Ancyrano alluditur his verbis « *patriciorum numerum auxi, consul quintum jussu populi et senatus* (8) » Græce : « τῶν πατρικίων τὸν ἀριθμὸν ηὔξησα πέμπτον ὕπατ[ος δόγμ]ατι τοῦ τε δήμου καὶ τῆς συνκλήτου. » (9) Anno igitur 725 u. c. = 29 Augustus, vel

(1) Vid. Willems, *Sénat*, I, p. 586-587.
(2) P. 79.
(3) *Ann.*, XI, 25.
(4) Momms., *Röm. Forsch.*, I, p. 277, n. 16.
(5) Vide opus nostrum gallice inscriptum « *Les origines du Sénat romain.* » 1e partie, ch. V, § 6.
(6) *L. c.*
(7) Willems, *Sénat*, I, p. 577.
(8) II, 1. Momms., *Res gestæ*, p. 20.
(9) Bergkii conjecturam sequimur Mommseniana potiorem. *Augusti rerum a se gestarum indicem edidit Theodorus Bergk.* Gottingæ, 1873.

potius Octavianus, patricios adlegit, lex autem Sænia fuit anno antecedente 724 u. c. = 30 a L. Sænio Balbino cos. kal. novembribus suffecto (1) lata, eademque non ex senatusconsulto modo, quod unum Dio commemorat (2), sed ex rogatione ante populum, id est ante comitia centuriata vel tributa quæ legum rogandarum causa etiam tunc habebantur (3). De cooptatione per comitia curiata nihil traditum est. Quod scribit Dio, patricios jam antea, anno 721 u. c. = 33, ab Augusto consule II adlectos fuisse (4), Mommsenus tanquam fide indignum rejicit (5), diversam opinionem Bergkius sequitur (6). Illud vero liquet nullam esse inter lectionem in senatum adlectionemque inter patricios communionem. Nempe, tres senatus lectiones Augustus commemorat quas ad tres census eodem loco proxime relatos pertinere manifestum est (7). Primum autem censum anno 726 u. c. = 28 consul VI collega M. Agrippa egit, secundum anno 746 u. c. = 8 C. Censorino et C. Asinio coss. consulari cum imperio, tertium denuo consulari cum imperio anno 14 post Ch. n. Sex. Pompeio et Sex. Appuleio coss. (8). Censoris igitur nomen aspernatus ad antiquam illam rei publicæ formam redierat, in qua censores nondum creati erant eamque provinciam consules procurabant (9). Neque hoc infirmat Dio tradens Augustum cum Agrippa censuram egisse (10), neque locus ex fastis Venusinis de Augusti et M. Agrippæ censoria potestate (11). Censoriam enim potestatem eo anno complementum fuisse amplissimi magistratus, sicut in municipiis duoviri quinquennales censum agere solebant (12), titulus Venusinus significat, et quod ad Dionem attinet, præterquam quod eandem explicationem recipit, errores ejus in decretis Augusto honoribus computare supervacaneum est. De lectionibus annis 736 u. c. = 18, 741 u. c. = 13, 743 u. c. = 11, 757 u. c. = 4 post Ch. n. apud eundem memoratis, vix quidquam

(1) Klein, *Fasti consulares.*
(2) LII, 42.
(3) Willems, *Droit public*, p. 440.
(4) XLIX, 43.
(5) *Res gestæ*, p. 20.
(6) *O. c.*, p. 34, 35.
(7) Momms., *Res gestæ*, p. 21.
(8) *Monum. Ancyr.*, II, 1-11. Momms., *Res gestæ*, p. 21-24.
(9) Momms., *Staatsr.*, II, p. 325, 326.
(10) LII, 42.
(11) *C. I. L.*, I, p. 469. « *Imp. Cæsar VI M. Agrippa II. Idem censoria potest. lustrum fecer.* »
(12) Momms., *Staatsr.*, II, p. 324, n. 3.

probabile afferri potest, ut confusione quadam iteratæ et plane commenticiæ esse videantur (1).

Apparet nunc quo jure Augustus in senatum legerit. Quod si eodem jure adlegisset inter patricios, nihil opus erat ut hæc ei cura lege peculiari mandaretur. Claudio principe primum ambo hæc munera, inter se antea aliena, conjuncta sunt. Is enim, anno 47 post Ch. n. censura suscepta (2), simul cum senatum suppleret, patricios creavit, quos censoris beneficio creatos esse, non tantum ex Taciti verbis « lætaque hæc in rempublicam munia multo gaudio *censoris* inibantur (3) », sed etiam ex P. Plautii Pulchri titulo, ubi is dicitur a Claudio censore inter patricios lectus (4), compertum habemus. Errat Mommsenus qui putat Claudium primum instituisse ut jus patriciorum creandorum cum principatu conjungeretur, neque pro argumento certe erit quod in senatusconsulto de Vespasiano imperatore creando memoretur Claudio primo permissum fuisse ut pomerii fines ad arbitrium promoveret (5). Etenim post Claudium imperatorem nemo nisi a Vespasiano patricius factus occurrit, qui cum Tito filio collega anno 72 post Ch. n. proximus post Claudium censuram suscepit, unde manifestum fit jus inter patricios adlegendi non ex principatu sed ex censura ductum esse. At Vespasianus et Titus postremi censuram gesserunt. Domitianus censoriam potestatem sibi assumpsit et postea nomen censoris perpetui (6). Qui deinde secuti sunt, censoris nomine prætermisso, censoriis vero muneribus retentis, iisdemque cum principatu conjunctis, jus adlegendi inter patricios perpetuo usurpaverunt, sicut ex hujus ætatis historiis titulisque comperimus (7).

Jam novimus legem Cassiam de patriciis creandis nihil pertinuisse ad lectionem senatus adlectionemque in ordines magistra-

(1) Lectiones annorum 736 u. c. = 18 et 743 u. c. = 11 ad curam morum iisdem annis decretam primo Mommsenus rettulit. (*Res gestæ*, p. 21. Cf. p. 14 et 15.) At, cum ex fragmento rerum gestarum Apolloniensi a Waddingtonio tractato apparuerit curam morum a senatu populoque oblatam ab Augusto recusatam fuisse (*Staatsr.*, II, p 686 et not. 1) omnes lectiones a Dione memoratas, præter lectionem anni 726 u. c. = 28, falsas esse duxit. (*Ibid.*, p. 905, not. 2.)

(2) Boor, *Fasti censorii.*

(3) *Ann.*, XI, 25.

(4) Wilmanns, 1137.

(5) *Res gestæ*, p. 20. Aliter rectiusque in opere quod inscribitur *Staatsr.*, II, p. 1046, 1047.

(6) Eckhel, *D. N. V.*, VI, p. 395, 396. Momms., *Staatsr.*, II, p. 326, 327. Willems. *Droit public*, p. 456.

(7) Momms., *ibid.*, p. 1047.

tuum. Immo, cum ad id spectaret ne patricia sacerdotia vacarent, potius crediderimus Cæsarem, ut pontificem maximum, has tuendorum sacrorum partes suscepisse. Cui opinioni forsan aliquis opponet Augusto eandem provinciam lege Sænia mandatam fuisse cum nondum pontifex maximus esset. Lex enim Sænia, ut jam explanavimus, anno 724 u. c. = 30 lata est, annoque tantum 742 u. c. = 12, post defunctum M. Æmilium Lepidum, Augustus factus est pontifex maximus. Nemo vero nescit quam extra normam legemque pontificatum maximum Lepidus interceperit, post mortem Cæsaris, inconsulto populo, in confusione rerum ac tumultu. Cui cum eripere pontificatum vivo, etsi populus vehementer efflagitaret, Augustus noluisset, eo sane consilio ne sacerdotii, quod ipse appetebat, magnum imperii adminiculum futurum, majestas frangeretur, mortem Lepidi exspectavit. Interea vero omni eum contumelia afficiebat, neque ulli mirum videbitur si patriciorum creandorum munus, splendidissimum idem et gravissimum, sibi traduxerit, cum præsertim plurima de sacris, vivente Lepido, instituerit (1).

Aliter vero de adlectione in ordines magistratuum res se habet, quæ cum jure in senatum legendi semper conjuncta postea apparebit. Itaque, quo jure Cæsar in senatum legerit, eodem eum in magistratuum ordines adlegisse concludimus. Legit autem ut dictator reipublicæ constituendæ (2), sive etiam ut præfectus moribus, si modo præfecturam morum unquam obtinuit, quod ait primo Mommsenus (3) ac deinde negavit (4). Controversiam proposito alienam repetere nostrum non est. Illud tantum notari oportet, jus adlegendi in ordines magistratuum facultati senatum legendi magnum additamentum fuisse, ita ut ex hoc tempore censoria potestas multo latius quam antea patuerit.

(1) Vid. de his Momms., *Res gestæ*, p. 28, 29, et quæ disertissime explicuit Boissier, *La religion romaine d'Auguste aux Antonins*, I. I. *Réformes d'Auguste*.

(2) Willems, *Sénat*, I, p. 581-598.

(3) *Res gestæ*, p. 14, 15.

(4) *Staatsr.*, II, p. 685, 686.

CAPUT TERTIUM.

DE EXTRAORDINARIIS HONORIBUS C. CÆSARI OCTAVIANO DECRETIS.

Anno 711 u. c. = 43, kal. januariis, cum senatus a C. Pansa et A. Hirtio coss. convocatus esset ut de M. Antonio statueretur, Cicero quintam in eundem orationem habuit, et præter alia senatusconsulta quæ facienda censebat, his verbis censuit decernendum : « senatui placere C. Cæsarem C. filium, pontificem, pro prætore, senatorem esse, sententiamque loco prætorio dicere, ejusque rationem quemcumque magistratum petet, ita haberi, ut haberi per leges liceret, si anno superiore quæstor fuisset (1). » Ita legendum esse Tullianum senatusconsultum, neque emendationem hanc : « si *prætor* fuisset » substituendam, demonstravit Nipperdæus (2). Post præturam enim unus tantum magistratus petendus, consulatus scilicet, restabat. Censura neque solebat in ordine magistratuum adscribi, neque etiam, si adscripta esset, ea loquendi ratio « *quemcumque* magistratum petet » satis apta videretur. Optime igitur de hoc Nipperdæus. Minus recte contendit (3), si lectionem « *prætor* » ratam habueris, nequaquam posse Ciceronem cum ceteris historiarum scriptoribus conciliari, in quibus comperimus Octaviano datum fuisse ut consulatum sive, quod eodem recidebat, omnes magistratus decennio ante ætatem legitimam peteret (4). Nihil enim opus est Ciceronem cum historiarum scriptoribus consentire, cum apud eum senatusconsultum faciendum, apud illos factum habeamus, satis autem

(1) *Philipp.*, V, 17.
(2) P. 70.
(3) *Ibid.*
(4) App., *B. C.*, III, 51. Cf. 88. Cass. Dio, XLVI, 29.

constet diversas sententias latas fuisse (1), neque ipsam Ciceronis sententiam integram vicisse (2). Ceterum haud scio an utique Tullianum senatusconsultum ab eo quod factum est discrepet. Natus erat Octavianus IX. kal. Octob. anno 691 u. c. = 63 (3). Undevicesimum igitur annum expleverat kal. Jan. anni 711 u. c. = 43, cum honorificis senatus decretis extolleretur. Consulatum autem nonnisi anno ætatis quadragesimo tertio licebat adipisci (4), ita ut Octavianus, si petitionem decennio maturabat, deberet consul fieri anno ætatis tricesimo tertio, anno scilicet 724 u. c. = 30 (5). Attendamus nunc quo anno consul fieri debuisset ex Ciceronis senatusconsulto. Quæsturam non ante annum ætatis tricesimum septimum licebat adipisci, eo quidem temperamento adhibito ut, si quis se profiteretur tribunatum et ædilitatem petiturum, quos magistratus prætermittere licebat, honorum curriculum anno ætatis tricesimo posset ingredi. At, cum ita lege constitutum esset, ne quis magistratuum ordinem, nisi biennio interposito, continuaret, qui quæsturam anno tricesimo susceperat, tribunatum et ædilitatem inde suscepturus, is nihilo citius ad consulatum anno legitimo accedebat, perinde ac si quæsturam anno tricesimo septimo suscepisset. Ea est Mommseni de legibus annalibus post Sullam opinio vel potius conjectura (6), quam ut sequamur inclinat animus, cum nulla alia rem difficillimam melius expediat. Qui porro, etsi nondum maturus, reputabatur quæsturam gessisse, is habebatur ut si quæsturæ annum, annum scilicet ætatis tricesimum septimum, explevisset. Itaque Octavianus, cum censeretur anno 710 u. c. = 44 quæsturam gessisse, poterat, biennii ratione habita, tribunatu et ædilitate omissis, præturam in annum 713 u. c. = 41, consulatum in annum 716 u. c. = 38 petere. Ex quo apparet celeritatem petitionis majorem ei ex senatusconsulto quod Cicero faciendum censebat quam ex eo quod factum est concessam fuisse, cum ex hoc, anno tricesimo tertio, ex illo, anno vicesimo quinto adipisci posset. Neque inepte ani-

(1) Cic., *Ad Brutum*, 15 : « Celeritatem petitionis primo Servius, post majorem etiam Servilius (decrevit). » Ex hoc apparet multa quæ ignoramus de petitione Octaviano maturanda agitata fuisse.

(2) Infra demonstrabitur Octaviano non prætorium locum, qui a Cicerone erat petitus, sed consularem decretum fuisse.

(3) Eckhel, *D. N. V.*, VI, p, 69.

(4) Momms., *Staatsr.*, I, p. 549, etc.

(5) Annus inceptus pro expleto habebatur, sicut ex exemplo Catonis supra compertum est.

(6) *L. c.*

madvertit Mommsenus (1) id potius cum verbis congruere quæ Cicero de consulibus admodum adulescentibus creatis, argumentationis causa, paulo infra facit.

Utut est, lectionem « si quæstor fuisset » ratam habemus et in hoc Nipperdæo consentimus. Minus probabile videtur hoc aliud ab eodem excogitatum. Nempe, cum opinetur Ursinum, lectionis « si prætor fuisset » auctorem, probe quidem intellexisse senatorem, qui in sententia dicenda pro prætorio haberetur, nequaquam posse in petendis honoribus pro quæstorio haberi, in eo tantum contendit sagacissimum rerum antiquarum existimatorem erravisse, quod hanc potius senatusconsulti partem « si quæstor fuisset » corrigendam arbitratus sit, neque senserit ingenii acumen alias esse admovendum, itaque legendum C. Cæsarem « sententiam loco *quæstorio* dicere », non « *prætorio* », omnemque difficultatem expeditum iri si idem in senatu et in comitiis reputaretur (2). Ita Nipperdæus. At argumentatio ejus opinione falsa nititur. Etenim ex Cassio Dione comperimus M. Claudio Marcello Augusti nepoti anno 730 u. c. = 24 cum ædilitate simul jus sententiæ inter prætorios decretum fuisse (3), unde liquet nullum impedimentum fuisse quominus in senatu eminentiori loco sententiam aliquis diceret, simulque minores magistratus ordine peteret gereretque.

Quæ cum ita sint, et Tullianum senatusconsultum, quale supra rettulimus, adulteratione omni careat, tempus est ut inquiramus qui fuerint honores Octaviano decreti. De quibus veteres scriptores inter se dissentiunt. Appianus narrat nihil kalendis januariis statutum fuisse (4), postridie vero decretum « ut cum Hirtio et Pansa consulibus pari imperio Cæsar præesset eis quas tum haberet copiis, et aurata ei poneretur statua, et sententiam posthac inter consulares diceret (καὶ γνώμην αὐτὸν ἐσφέρειν ἐν τοῖς ὑπατικοῖς ἤδη) et jus petendi consulatus haberet decennio ante ætatem legitimam (5)... » Majores igitur honores quam qui a Cicerone petiti erant Octaviano decretos fuisse ex Appiano comperimus, siquidem jus sententiæ dicendæ, non inter prætorios, sed inter consulares, accepit. Aliter vero res a Cassio Dione tradita est, qui cum senatusconsulta IV et III nonas januarias conscripta simul referat, ita eloquitur : « Postridie et tertio die, post multa

(1) *Staatsr.*, I, p. 549, n. 1.
(2) P. 72, etc.
(3) LIII, 28.
(4) *B. C.*, III, 50.
(5) 51.

in utramque partem dicta, Cæsaris fautores pervicerunt ut statua ei aurata poneretur, sententiamque diceret inter quæstorios (τὸ βουλεύειν ἐν τοῖς τεταμιευκόσι), ceterosque magistratus decennio ante ætatem legitimam peteret (1)... » Ex quo contra accipimus Octavianum minus honorifice quam Ciceroni placuerat habitum, nisi fortasse Nipperdæi in senatusconsulto emendatio « *loco quæstorio* » pro « *prætorio* » sit probanda. Cum autem emendatio illa plane gratuita sit, immo videatur ideo tantum excogitata fuisse ut Cicero cum Dione conciliaretur, absurdum foret argumentum inde deducere falsa esse quæ Appianus, vera quæ Dio tradiderit.

Dionem secutus est Nipperdæus et argumenta hæc attulit (2) : Apud Dionem legimus, post prælium Mutinense, insurgenti magis ac magis in senatus auctoritatem Octaviano, et jam consulatum appetenti, senatum, non consulatum quidem, sed consularia ornamenta decrevisse, ita ut sententiam loco consulari diceret (3). Neque dubitari potest consularia ornamenta Octaviano collata fuisse. Præterquam enim quod paulo post ab eodem Dione traditur Octavianum, cum consulatum suscepisset, sive arripuisset, etsi antea consularibus ornamentis donatum, non tamen se bis consulem dixisse (4), in periocha Titi Livii CXVIII hæc inveniuntur : « C. Cæsari, qui privatus rei publicæ arma sumpserat, proprætoris imperium a senatu datum est cum consularibus ornamentis, adjectumque ut senator esset (5). » Consularem autem locum, sive jus inter consulares sententiæ dicendæ, tributum quoque fuisse ex tabula Ancyrana apparet, quam hoc loco probabiliter plane Mommsenus supplevit et in hunc modum integram restituit : « [*Propter quæ sen*]*atus decretis honori*[*fi*]*cis in ordinem suum* [*me adlegit C. Pansa et A. Hirti*]*o consulibu*[*s*, *c*]*on*[*sula*]*rem* [*locum mihi tribuens*] (6). Comperimus igitur, luculentis plurimis testimoniis, Octaviano et locum consularem et consularia ornamenta fuisse decreta. Ornamenta autem non potuit post locum accipere, siquidem cum loco erant necessario conjuncta, nihilque attinebat loco jam donatum ornamentis donare. Neque magis potuit ornamenta simul cum loco accipere, cum supervacaneum fuisset ornamenta, quasi essent præter locum decreta, peculia-

(1) XLVI, 29.

(2) P. 70-86. Cf. *Nachtrag*, p. 86-88.

(3) XLVI, 41.

(4) 46.

(5) Vide Willemsii emendationem « adjectumque ut senator esset cum consularibus ornamentis. » *Sénat*, I, p. 600, n. 4.

(6) I, 3-5. *Res gestæ*, p. 5.

riter commemorari. Non potuit denique ornamenta accipere ante diem IV nonas januarias, qua die apud Appianum dicitur locum accepisse, cum nullum antea senatusconsultum factum esset. Accepit tamen consularia ornamenta. Quid restat nisi ut concludamus Octaviano, die IV nonas januarias, non consularem locum, quod Appianus tradidit, sed quæstorium, quod Cassius Dio, decretum fuisse, consularem autem locum postea tantum obtigisse? Cui opinioni succurrit quod paulo post apud Dionem invenimus de consularibus ornamentis cum consulari loco post prælium Mutinense decretis (1). In hoc tantum ipse Dio videtur erravisse quod consularem locum, sive consularem sententiam, ex consularibus ornamentis simul decretis quasi necessario consecutam fuisse arbitretur, cum contra spectatum sit ornamenta senatoria nihil pertinere ad sententiam in senatu in quolibet loco dicendam. Immo ornamenta debent, post prælium Mutinense, eodem quidem fere tempore ac sententia decreta fuisse, verum tamen paucis diebus antea, quos Dio male neglexerit.

Nipperdæi argumentationem rettulimus, vel, ut paulo impeditam obscuramque, expedire et ad liquidum perducere, quantum potuimus, conati sumus. Quæ omnis ex hac opinione pendet consularem sententiam et ornamenta consularia honores esse diversissimos, ita ut qui sententiam consecutus fuerit, ornamenta necessario consequeretur, qui vero ornamenta, non ideo sententiam. De quo, cum in secunda commentationis nostræ parte amplius disseruerimus, satis videbitur ea quæ tunc statuerimus breviter hic colligere. Explorandum est utrum ii qui senatorii magistratus ornamentis donantur senatores sint, necne. Quod si senatores non sunt, nihil ornamenta valent ut senatores fiant. Qui, exempli causa, consularibus aut prætoriis ornamentis donatur, is in senatum ideo non adlegitur, nedum jus sententiæ inter consulares aut prætorios ideo adipiscatur. De senatoribus vero idem non valet, qui, si eminentioris dignitatis ornamenta acceperint, in locum huic dignitati convenientem necessario promoventur, ita ut qui, quæstorius antea, quæstorio loco sententiam dicebat, prætoriis ornamentis donatus, dicat inter prætorios, neque ideo minus maneat in honoribus petendis quæstorius. Inde fit ut apud historiarum scriptores, qui de honoribus Octaviano extra ordinem decretis tradiderunt, sive locus consularis, sive ornamenta consularia nuncupentur, alterumque pro altero nullo discrimine usurpetur, ita ut vix aliquid interesse crediderimus.

(1) XLVI, 41.

Inde quoque haud immerito inferre licebit Octaviano in senatum adlecto idem fuisse ornamenta consularia, idem sententiam consularem tribui. Conferatur enim cum Titi Livii periocha tabula Ancyrana : hinc consularis sententia, illinc consularia ornamenta memorantur. Si Dionem attenderis, res multo magis perspicua apparebit, quippe qui ornamenta cum sententia his verbis conjungat : « (Cæsarem) ornamentis consularibus (senatus) decoravit, ita ut sententiam etiam inter consulares jam inde haberet (1) », neque prorsus quicquam est cur hanc consequentiam cum Nipperdæo falsam esse arbitremur. In hoc tantum Dionem falsum dicimus, quod sententiam consularem sive ornamenta consularia post prælium Mutinense decreta fuisse tradiderit, cum contra, ineunte anno, die IV nonas januarias fuerint decreta. De quo mirum est Nipperdæum etiam tunc dubitavisse (2), postquam monumentum Ancyranum Perroti beneficio emendatum sit. Retractandus hic ejus monumenti locus quem jam antea laudavimus. Mommseni recensio ea est : « *[Propter quæ sen]atus decretis honori[fi]cis in ordinem suum [me adlegit C. Pansa et A. Hirti]o consulibu[s c]on[sula]rem locum [mihi tribuens. Item eodem tempore imp]erium mihi dedit.* » Ultimorum verborum græca metaphrasis datur in Mommseniana recensione : « //// [ἐ]μοὶ ἔδ[ωκεν ἀρχήν...] (3) » Cum autem hæc ultima verba conjecturalia admodum sint, restitutionem aliam Bergkius excogitavit, legitque latine : « *[Neque ita multo post imp]erium mihi dedit* » et græce : « [καὶ] αὐ[τίκα ἐ]μοὶ ἔδ[ω]κ[εν ἀρχήν...], monumentum Cumanum : « *VII idus Januar(ias). E[o die Cæsar] primum fasces sumpsit* » (4), ita interpretatus ut si eo demum die imperium a senatu decretum fuerit. Quod negavit Hirschfeldius, asseverans ideo tantum Octavianum fasces non prius sumpsisse, quia, ad urbem Spoletum cum copiis jam delatus, non potuisset, nisi aliquot diebus interpositis, senatusconsulti certior fieri, itaque legendum potius : « *et extraordinarium imp]erium mihi dedit* » (5). De qua

(1) XLVI, 41.

(2) P. 86-88, *Nachtrag.*

(3) Ita priorem lectionem (*Res gestæ*, p. 5) in *C. I. L.*, III, 2, p. 788, 789. Mommsenus emendavit.

(4) Henzen, 5359.

(5) *Wiener Studien*, 1881, II, p. 253, 254. Compertum est Octavianum Spoleti imperium iniisse (Plin., *H. N.*, XI, 37, Detlefsen), non potuisse igitur senatusconsulti certiorem fieri eo die quo factum fuerit. Illud tamen Bergkii interpretationi opitulatur quod apud Cassium Dionem deprehendimus imperium fuisse

controversia amplius verba facere supersedemus, cum præsertim, utcumque libeat vacuum latinæ et græcæ tabulæ intervallum supplere, satis aperte in utraque significatum sit imperium eodem fere tempore ac consularem locum esse decretum. Non potuit igitur consularis locus post prælium Mutinense decerni, at debuit necessario die IV non. Jan., qua die a senatu de honoribus Octaviano tribuendis statutum est. Cum autem ornamenta consularia, ut ex consulari loco consequentia, nequeant esse Octaviano post hanc diem decreta, cum nequeant etiam esse ante, siquidem nihil ante senatus decreverit, restat ut eadem die decreta sint, vel, quod aptius dictum erit, ut alterutro ex ambobus honoribus decreto, alter necessario implicatus sit.

Quod Nipperdæus objicit, in Livii periocha de Octaviani honoribus hisce verbis memorari : « Imperium a senatu datum est cum consularibus ornamentis, adjectumque ut senator esset », unde argumentum sumit Octavianum, etsi consularibus ornamentis donatum, tamen in senatu inferiore loco sententiam dixisse, parvi momenti est. Satis enim perspectum erat Octavianum, cum consularibus ornamentis senatorem factum, non potuisse quin et in consularem locum referretur, nihilque pertinebat rem omnibus cognitam amplius demonstrare. Præterea illud quoque attendamus, inter plurimos qui de honoribus Octaviano tributis narraverint, nemine alio auctore nisi Cassio Dione de quæstoria sententia traditum fuisse, de qua imprimis mirum videretur Augustum ipsum in monumento Ancyrano tacuisse, cum ceteras dignitates sibi concessas ad unam enarraverit. Quod si quis dicat dignitatem hanc minorem esse quam ut commemoraretur, et ceterarum splendore, quæ postea concessæ fuerint, quasi obscuratam fuisse, haud infitiamur quidem quin recte fortasse dixerit, at illud multo magis credibile est, et ex omni disputationis nostræ tenore manifestum fit, quæstoriam sententiam ideo præteritam fuisse quod nunquam concessa fuerit.

Præstat igitur, ut finem faciamus, ratum habere quod Appianus tradidit, et statuere senatum Octaviano, non prætoriam sententiam, quæ a Cicerone petita erat, sed consularem tribuisse. Tulliano senatusconsulto, quale in Philippica quinta legitur, crediderimus Dionem in errorem inductum fuisse, et in eo bis peccavisse, primo quod arbitratus sit senatusconsultum sine emendatione esse perscriptum, deinde quod, confusione quadam,

aliquot diebus post ceteros honores decretum : « ὕστερον δὲ οὐ πολλῷ », XLVI, 29.

facultatem Octaviano efflagitatam, ut in petendis honoribus pro quæstorio haberetur, cum jure in senatu sententiæ quæstorio loco dicendæ male conjunxerit (1).

(1) Conjunctionem Dionis verborum « βουλεύειν ἐν τοῖς τεταμιευκόσι » cum Ciceronis verbis : « ejus rationem..... haberi..... ut... si anno superiore quæstor fuisset » optime Mommsenus perspexit (*Staatsr.*, I, p. 443, n. 1), at nescimus quo errore potuerit fingere idem apud utrumque significari. — Minime dubium est quin triumviri, Cæsaris dictatoris exemplum secuti, ornamenta magistratuum impensius largiti sint, atque etiam in ordines functorum magistratuum frequentius adlegerint (Willems, *Sénat*, I, p. 612), at, cum nihil de hoc apud historiarum scriptores traditum sit, nihil nobis est dicendum.

PARS SECUNDA

De decretis functorum magistratuum ornamentis.

CAPUT PRIMUM.

DE FUNCTORUM MAGISTRATUUM ORNAMENTIS QUALIA FUERINT.

Compertum est ex iis quæ supra exposuimus honores extraordinarios, de quibus agimus, etsi frequentiores postea adhibiti sint, extremis jam libertatis temporibus fuisse usurpatos, unde apparet, quod et alias sæpe manifestum fit, nihil fere novi a principibus instauratum, veterum modo instituta aut amplificata, aut etiam aliquando perversa fuisse et corrupta.

Nunc, cum ad principatus ætatem pervenerimus, in qua ejusmodi honores certiori quadam ratione definiti sunt et constituti, tempus est ut in unumquemque separatim operam impendamus; et, quæ antea sæpius necesse fuit velut cognita et jam explorata afferre, ne rumperetur sermonis nostri tenor, diligentius retractemus et exemplis argumentisve confirmemus. Ab ornamentis instituimus de quibus prima quæstio oritur qualia fuerint, quidve honoris aut emolumenti afferrent.

Hoc quidem constat talia ornamenta non ea esse quæ consul, aut prætor, aut quæstor, dum magistratu annuo fungebatur, obtinebat, verum ea quæ magistratu functus in reliquum vitæ retinebat. Oportet igitur imprimis recognoscere quæ restarent hominibus magistratu aliquo functis ornamenta, neque præposterum judicabitur si, ea subtilius definire aggressi, ornamenta fungentium primo breviter recognoverimus (1).

(1) Vid. Mommsen, *Staatsr.*, I : *Insignien und Ehrenrechte der fungirenden Magistrate*, p. 356-419.

Quorum duo genera sunt, ad comitatum apparatumque, aut ad vestitum pertinentium. De insignibus quæ extra Urbem belli gerebantur (1) inquirere nihil interest, cum urbanorum tantum magistratuum ornamenta tribui solerent. Neque magis proderit de ornamentis dicere quibus magistratus raro admodum inter sollemnia quædam utebantur. Notum est scilicet, quamvis et libera re publica, et sub principatu usque ad Severorum ætatem, non privatis modo, sed etiam magistratibus vetitum (2) esset ne in Urbe curru veherentur, prætorem urbanum, ludis quibus præesset, solitum esse curru invehi (3). Idem simul togam pictam totumque habitum triumphalem gerebat (4), qui etiam, curru excepto, tribunis plebis, cum ludos ederent, postea obtigit (5). Verum illa sunt prætermittenda. De triumphalium virorum insignibus, quanquam triumphalia ornamenta a proposito nostro aliena sunt, locus erit infra pauca disserendi, itemque de censuræ insignibus, cum ea, non vivis quidem, sed mortuis aliquando tribuerentur.

Ordinaria autem et urbana magistratuum ornamenta hæc erant. Quod ad comitatum attinet, duodecim lictores consulibus fasces præferebant, prætoribus, qui in Urbe fungebantur, duo. Minorum magistratuum apparitores insignia nulla præferebant (6). At ædilibus curulibus, haud secus ac consulibus prætoribusque dabatur ut, si nocte exiissent, funales cerei prælucerent nec non tibicen prægrederetur (7). Quod ad apparatum spectat, sella curulis consulatus, præturæ, ædilitatis patriciæ insigne erat, unde hi magistratus curules dicebantur (8). Quæsturæ (9) sella, quam

(1) Momms., *Staatsr.*, I, p. 414-419. *Kriegstracht.*

(2) *Ibid.*, p. 376-377. *Fahren und Sitzen der Magistrate.* Friedländer, *Sittengesch.*, I, p. 60-63. *Ueber den Gebrauch der Wagen in Rom.*

(3) Plin., *H. N.*, XXXIV, 5, Detlefsen. Juven., X, 36; XI, 195, Momms., *ibid.*, p. 377 et not. 7, p. 397 et not. 4. Marquardt, *Staatsverw.*, III; Friedländer, *Die Spiele*, p. 487 et not. 10. De consule testimonia desunt at res est certa (*l. c.*).

(4) T. L., V, 41. Friedländer, *l. c.* et not. 9.

(5) Tac., *Ann.*, I, 15. Cass. Dio, LVI, 46. Idem ceteris magistratibus qui ludos edebant, si non libera re publica, at certe sub principatu, concessum fuisse opinatur Mommsenus (*ibid.*, p. 397-399),

(6) Momms., *ibid.*, p. 366-370. De dictatoribus quibus viginti quattuor lictores fasces præferebant (*ibid.*, p. 367) nihil dicimus, cum ornamenta dictatoria nulla decerni solerent. Item de magistris equitum, de præfectis Urbis. Censores lictores non habebant. Zonaras, VII, 19.

(7) Momms., *ibid.*, p. 408, 409. Antoninorum ætate fuit illud principi tantum concessum, *l. c.*

(8) *Ibid.*, p. 383-386.

(9) *Ibid.*, p. 387-388.

quæstoriam dicere possumus, tribunatui plebis ædilitatique plebeiæ subsellium competebat (1). Quod ad vestitum denique, magistratus curules calceos patricios (2) togamque prætextam (3) gerebant. Quæstoribus prætextam defuisse, cum ex auctoribus nullam de ea mentionem facientibus, tum præsertim ex Ciceronis loco apparet sibi gratulantis quod, ædilis curulis factus, *togam prætextam* cum aliis ornamentis consecutus fuerit (4). Defuisse etiam prætextam tribunis plebis Plutarchus docet (5), idemque valet de ædilibus plebis. Qua igitur vestitus specie distinguerentur parum liquet, neque illud quidem constat proprium quoddam insigne eis fuisse tributum. De tribunorum tamen veste quadam sacrosancta in oratione Cassii ad milites apud Appianum agitur (6), verum obscurum est quid hoc verbo significet, nisi fortasse togam candidam intelligat ad quam videtur Calpurnius allusisse hoc versu : « Aut eques aut *nivei* loca densavere tribuni (7). » Toga autem candida Romanorum civium inter sollemnia et festa omnia insigne erat (8), ita ut parum perspiciamus quid inter tribunorum equitumque togas differret. De quæstorum toga ne indicium quidem ullum apud auctores habemus, nisi quod ex Ciceronis loco supra laudato (9) comperimus eam non prætextam fuisse. Item de ædilibus plebis. At certe utrique magistratus, itemque tribuni plebis tunicam laticlaviam calceosque senatorios (10) gerebant, cum quæstores post Sullanam ætatem, tribunique et ædiles plebis paulo etiam antea inter senatores adscribi cœpissent (11).

Explorandum nunc quæ post magistratus annum deponi solerent, quæ retineri insignia. Jam illud pro certo tenemus, hominibus magistratu aliquo functis insignia quædam superesse quibus a ceteris civibus distinguerentur, quanquam quidem sit pau-

(1) Momms., *Staatsr.*, I, p. 388-390.

(2) Willems, *Sénat*, I, p. 123-128. Videtur is luculentissime demonstravisse calceos patricios fuisse non patriciæ dignitatis, sed patriciorum magistratuum, id est curulium, insigne.

(3) Momms., *ibid.*, p. 402-405.

(4) *In Verr.*, V, 14.

(5) *Quæst. rom.*, I, 81.

(6) *B. C.*, IV, 93 : « Ἀλλὰ καὶ τοὺς ἀσύλους εἴδετε τὴν ἀρχὴν τὴν ἄσυλον καὶ τὴν ἐσθῆτα τὴν ἱερὰν ἐς ὕβριν ἀφαιρουμένους. »

(7) *Eclog.*, VII, 29.

(8) Momms., *ibid.*, p. 482.

(9) Not. 4.

(10) Sunt ea senatoria insignia (Willems, *Sénat*, I, p. 145-148).

(11) *Ibid.*, p. 225-234.

cissimis argumentis comprobatum. Quæ a Nipperdæo collecta sunt (1) operæ pretium est perpendere. Primo nihil valet quod Tacitus narrat de Cæsennio Paeto qui anno 61 post Ch. n. consul fuerat, annoque post Parthis bellum inferebat, equum ejus, *consularia insignia gestantem*, in transgressu Euphratis, nulla palam causa turbatum, retro evasisse (2). Nempe consularia insignia pro imperatoriis hic posita sunt. Deprehendimus enim ex veterum testimoniis, haud ita raris, imperatori in romano exercitu plures equos conspicuis insignibus decoratos contigisse. Legimus apud Plutarchum, cum adversus Parthos Crassus expediret, inter alia funesta omina, equum unum ex imperatoriis splendide ornatum, per vim abstracto rectore, in fluvium statim demersum fuisse (3). Immo, licet ex aliis documentis cognoscere quæ fuerint illa insignia, in phaleris scilicet et fortasse coccineo strato consistentia, ut collatis inter se Plutarchi (4) et Julii Obsequentis (5), et Dionysii Halicarnasensis (6) aliquot locis Lipsius demonstravit (7). Consularia autem apud Tacitum dicuntur quia Cæsennius legatus Aug. pr. pr. consularis erat. Aliam quidem interpretationem Mommsenus produxit opinatus equum illum lictorum fasces in agmine gestavisse (8). Utcumque vero rem dijudicemus, insignia illa ab urbanis insignibus, quæ unice persequimur, certe erant aliena.

Neque multo pluris facimus quæ ex quibusdam Ciceronis locis afferuntur. Primo ex oratione pro Cluentio : « Iniquum esse eos, qui honorum ornamenta propter periculorum multitudinem prætermisissent, populi beneficiis esse privatos, judiciorum novorum periculis non carere; senatorem hoc queri non posse, propterea quod ea condicione proposita petere cœpisset, quodque permulta essent ornamenta, quibus eam mitigare molestiam posset, locus, auctoritas, domi splendor, apud exteras nationes nomen et gratia, toga prætexta, sella curulis, insignia, fasces, exercitus, provinciæ (9). Qua voce « insignia » Nipperdæus arbitratur Cicero-

(1) P. 75, 76.

(2) *Ann.*, XV, 7. Vide hoc loco ejusdem Nipperdæi notulam, ubi verius eum dixisse censemus.

(3) *Crass.*, 19.

(4) *L. c.* et *Pomp.*, 19.

(5) C. 68.

(6) X, 24.

(7) *De militia romana*, II, 12.

(8) *Staatsr.*, I. p. 418, not. 1.

(9) 56.

nem ornamenta eorum qui magistratibus functi erant, significasse, cum præsertim antea memoraverit togam prætextam sellamque curulem quæ fungentibus competebant, ac postea provincias quæ functis decernebantur. Neque inepte excogitatum diceremus, nisi hanc vocem, ambiguam quidem et præposteram, spuriam esse Orellius firmaret. Accedunt Ciceronis verba pro P. Cornelio Sulla perorantis, cui, cum anno 688 U. C. = 66 consul designatus ab L. Torquato ambitus accusatus fuisset damnatusque, quattuor annos post ab eodem Torquato dies dicebatur quod in Catilinæ conjurationis societatem venisset. Ejus fortunam priore damnatione eversam ita miseratur Cicero : « Neque enim nunc propulsandæ calamitatis suæ causa supplex ad vos, judices, confugit, sed ne qua generi ac nomini nota nefariæ turpitudinis inuratur. Nam ipse quidem, si erit vestro judicio liberatus, quæ habet ornamenta, quæ solacia reliqua vitæ, quibus lætari ac perfrui possit? Domus erit, credo, exornata ; aperientur majorum imagines ; ipse ornatum ac vestitum pristinum recuperabit. Omnia, judices, hæc amissa sunt ; omnia generis, nominis, honoris insignia atque ornamenta unius judicio calamitate occiderunt (1). » Hunc vestitum atque hæc honoris insignia et ornamenta nihil est cur potius ad præturam gestam quam ad senatoriam dignitatem referamus. Laudatur quoque Ciceronis in octava Philippica locus : « Equidem, patres conscripti, quanquam hoc honore usi togati solent esse cum est in sagis civitas, statui tamen a vobis ceterisque civibus in tanta atrocitate temporis tantaque perturbatione rei publicæ non differre vestitu. Non enim ita gerimus nos hoc bello consulares, ut æquo animo populus romanus visurus sit nostri honoris insignia (2). » His ultimis verbis, si Nipperdæum sequimur, non toga modo a Cicerone dicitur, quam in tumultu publico consulares viri soli omnium servabant, sed etiam togæ quædam consularia insignia. Verum illud quoque contendere licet hæc verba ad togam modo pertinuisse, cum toga hac tempestate a consularibus præter ceteros gesta, consularis dignitatis documentum satis insigne esset. Habes denique Velleii locum ubi memoratur Sex. Quinctilium Varum, post Philippensem pugnam, liberti, quem id facere coegerat, manu, cum se insignibus honorum velasset, jugulatum fuisse (3). De Sex. Quinctilio Varo agitur quem novimus anno 705 U. C. =

(1) 31.
(2) 11.
(3) II, 71.

49 quæsturam gessisse (1), ac postea, dictatore interempto, provinciæ Africæ præpositum fuisse (2). Itaque Hölzlius putat Velleii verba ad præturam ejus posse referri, quam debuit ante annum 710 u. c. = 44 gerere (3). Contra judicat Mommsenus (4) ad proconsulis insignia, ad paludamentum scilicet purpureum (5), alludi, quod si ratum est, nihil inde ducimus quod ad propositum nostrum pertineat.

Ea sunt quæ a Nipperdæo allata ambiguum aliquid singula habent. Pergamus vero et jam illustria fient quæ adhuc obscuriora videntur. Fasces quidem nemini nisi qui magistratus prove magistratu esset unquam contigisse ex hoc satis constat quod cum imperio erant necessario conjuncti (6). Item de lictoribus qui fasces præferebant. Item de apparitoribus qui minorum magistratuum jussa facessebant. Neque magis sella curulis inter insignia curulibus magistratibus functorum potest annumerari. Nullius enim momenti est cum Livius inducit senes, qui curules magistratus gesserant, Gallis adventantibus, in medio ædium, eburneis sellis sedentes (7). Est illud ab sollertissimo scriptore potius ad commovendos lectorum animos compositum quam ad veritatem expressum. Quid quod iidem toga picta et tunica palmata vestiti sunt (8), quas nemo unquam functus magistratus induit (9)? Quid quod M. Papirius unum e Gallis scipione eburneo percutit, quem triumphalis vir post triomphum nunquam resumebat (10)? Ceterum exemplum habemus Valerii Maximi dictatoris, recentiori ætate, in titulo qui elogium dicitur, repetitum illustratumque : « *Sellæ curulis locus ipsi posterisque ad Murciai spectandi caussa datus est* (11). » Ex eo enim quod

(1) Cæs., *B. C.*, I, 23. Cf. II, 28.

(2) Cic., *Philipp.*, XII, 15. Vid. Pauly, *Encykl.*, VI, p. 372. Hölzl, *Fasti prætorii*, p. 95-96. Willems, *Sénat*, I, p. 578.

(3) *L. c.*

(4) *Staatsr.*, I, p. 421, n. 1.

(5) De paludamento vid. *ibid.*, p. 416, et Marquardt, *Staatsverw.*, I, p. 394. Quæstio tamen oritur an extra provinciam, sub alienis auspiciis, proconsulis vel proprætoris insignibus liceret quemquam decorari.

(6) Momms., *ibid.*, p. 361, n. 6.

(7) V, 41.

(8) *L. c.* « Quæ augustissima vestis est tensas ducentibus triumphantibusve, ea vestiti. » Vid. Mommsen, *ibid.*, p. 396, 399.

(9) Neque ipsi triumphales viri iis utebantur, nisi concedente populo et senatu. Vid. *ibid.*, p. 423, n. 2.

(10) *Ibid.*, p. 410 et 422.

(11) *C. I. L.*, I, p. 284. Elog. XXIII. Cf. Festus, p. 344.

supra legem factum est quid ex lege fieri soleret licet cognoscere (1). De funalibus cereis et de tibicine nihil novimus.

De vestitu hæc suppetunt. Togam prætextam etiam post magistratum gestum indui negavit errore nescio quo Nipperdæus (2), affirmavit recte Mommsenus (3). Argumento est Ciceronis in Philippica secunda locus : « Quæro deinceps num hodiernus dies qui sit ignores? Nescis heri quartum in Circo diem ludorum romanorum fuisse, te autem ipsum ad populum tulisse ut quintus præterea dies Cæsari tribueretur? Cur non sumus prætextati? Cur honorem Cæsari tua lege datum deseri patimur (4). » Quo loco manifestum est non de senatorum grege agi qui tunicam laticlaviam gerebant, neque togam prætextam unquam induerant, sed de iis modo qui curules magistratus gesserant, inter quos semetipsum Cicero annumerat. Neque pro nihilo erit quod de Claudio Glicia in Livii periocha XIX memoratur. Is nempe, cum a P. Claudio Pulchro cos. anno U. c. 505 = 249, unus de plebe, atque etiam viator ejus, per ludibrium dictator creatus esset, coactus abdicare se magistratu, a Livio traditur ludos postea nihilominus prætextatus spectavisse, non quod mirum videretur cui prætexta, vel uno die, ob magistratum susceptum, induta fuisset, eam in reliquum vitæ contigisse, sed potius ob invidiam quam tantus honos in infimo homine apud omnes concitare deberet (5). De calceis patriciis exempla habemus App. Annii Atilii Braduæ, cos. anno post Ch. n. 160, quem Philostratus, in vita Herodis Attici, inducit, post consulatum, cum signo nobilitatis calceis affixo (6), item Valerii Liciniani de cujus prætura Plinius minor (7) lunataque pelle Martialis (8) commemoravit. Neque is sane ad prætorem, verum potius ad prætorium scribebat, cum in Hispaniam proficiscentem ad rusticam vitam hortaretur. Quod si tamen ambigi-

(1) Nihil valet documentum Marcelli (Cass. Dio, LIII, 30), Germanici (Tac., *Ann.*, II, 83), et Drusi junioris (*ibid.*, IV, 9. *C. I. L.*, VI. 912), in quorum uniuscujusque memoriam decretum est ut sella curulis cum nomine inscripta in publico poneretur. Quippe, non sequitur inde eandem vivis denegatam fuisse.

(2) P. 76.

(3) *Staatsr.*, I, p. 421.

(4) 43.

(5) Cf. Suet., *Tib.*, 2; *C. I. L.*, I, Fast. Capitol., p. 434.

(6) *Vitæ. Soph.*, II, 1, 18, Didot : « Post consulatum. » Nempe de accusatione Herodi a Bradua illata apud Philostratum agitur, quæ mortem Regillæ, Herodis uxoris, circa annum 160 (Vid. Franz, *C. I. G.*, 6280. Commentar.) secuta est.

(7) *Epist.*, IV, 11.

(8) II, 50, v. 31. Cf. Teuffel, *Litt. lat.*, trad. franç., 326, 15.

tur an de eodem ambo locuti sint, infra demonstratum erit calceos patricios, haud secus ac prætextam, hominibus qui curulium magistratuum ornamenta accepissent, competere (1), nedum post eosdem magistratus, reapse gestos, deponerentur.

Illud vestitus insigne functi magistratus non perpetuo quidem gerebant, sed certis tantum diebus, inter sollemnia festaque eo utebantur. Argumento sunt quos modo laudavimus Livii de Claudio Glicia et Ciceronis in Philippica secunda loci. Ne in senatum quidem cum vocarentur ornamento ullo inter pedarios distingui solebant. De toga quidem prætexta nihil est compertum, at de calceis patriciis, qui erant cum prætexta conjuncti, succurrunt verba ex C. Marii elogio excerpta « *veste triumphali calceis patriciis* [*in senatum venit*] (2). » Unde satis apparet eum aliquid præter solitum ausum fuisse, idque memoratum, non ut, audacia vituperaretur, quod in titulo, ad gloriam ejus subscripto, absurdum esset, verum potius ut ostenderetur quantum apud cives valeret qui tantum sibi arrogasset (3).

(1) Vid. caput tertium.

(2) *C. I. L.*, I, p. 290, Elog. XXXIII. Cf. T. L., *Periocha*, LXVII. Plut., *Marius*, 12, qui ambo, verba, quæ suppleta sunt, confirmant.

(3) Vid. Willems, *Sénat*, I, p. 124-125.

CAPUT SECUNDUM.

DE FUNERE FUNCTORUM MAGISTRATUUM. DE FUNERE CENSORIO.

Cum funeris pompa inter ornamenta magistratuum sit referenda, res postulat ut de hoc quoque, antequam ultra progrediamur, paucis disputemus. Nempe erat magistratuum funus maximi quem gesserant honoris insignibus conspicuum, quanquam de fascibus et de sella curuli, quæ ornamenta post magistratum gestum in reliquum vitæ deponebantur, haud ita perspicimus num novissime iterum expedirentur. Nihil enim prodest quod narrat Tacitus (1), versos fasces in funere Germanici prælatos fuisse, cum insignia illa, non ad duos consulatus quos is gesserat, sed ad proconsulare imperium, in quo interceptus erat, manifesto debeant referri. Neque illud Mommsenum latuit (2), mirum vero quantum in interpretando Flacci versu,

> ..... dum ficus prima calorque
> Dissignatorem decorat lictoribus atris (3),

falsus sit (4), quippe qui existimet lictores cum fascibus hoc loco significari, incertus tantum utrum de iis agatur qui majorum imaginibus apparebant, an de aliis quorum opera erat magistratum ab eo cujus funus celebrabatur gestum fascibus repræsentare (5). Verum autem solitum erat, in funeribus paulo splendidioribus, ut pompa a dissignatore sive accenso duceretur, adjuvantibus qui per similitudinem appellabantur lictores (6). Ita

(1) *Ann.*, III, 2.
(2) *Staatsr.*, I, p. 425, n. 1.
(3) *Epist.*, I, VII, 5.
(4) *L. c.*
(5) Vide infra.
(6) Becker, Gallus, III, p. 359.

apud Ciceronem in secundo de legibus libro quæ ad funerum ritus pertinent digerentem. « Reliqua sunt in more, funus ut indicatur, si quid ludorum, dominusque funeris utatur accenso atque *lictoribus* (1). » Illud quoque apud Romanos moris erat, inter funera, hominibus, qui statura et reliquo habitu, majorum speciem referre viderentur, non personas modo majorum togasque indui, pro honoribus gestis, purpureas aut prætextas, sed etiam fasces et secures, prout quisque imperium obtinuisset, præferri (2). At, cum mortuos, ut ita dicam, ab inferis excitarent, operam dabant Romani ut vehementer percuterent spectantium animos, ideoque majorum effigies inducebant, quales, dum vixerant, sese præbuerant oculis, cum omnibus ornamentis quibus, cum in præclarissimo ætatis suæ spatio versarentur, fuerant decorati. Verum hæc majorum tenus, neque eodem modo eum qui efferebatur viventem et incedentem exhibere studebant. Nihil est igitur cur judicemus huic quoque solitum fuisse fasces in pompa præferri.

De sella curuli nihil magis est compertum. De toga sunt hic quoque quædam certiora. Qui prætextam vivi gesserant, eadem ii in funere induebantur. Fidem facit quod apud Livium in oratione L. Valerii contra legem Oppiam invenimus : « Purpura viri utemur, prætextati in magistratibus, in sacerdotiis; liberi nostri prætextatis purpura togis utentur; magistratibus in coloniis municipiisque, [hic Romæ infimo generi, magistris vicorum,] togæ prætextæ habendæ jus est, nec ut vivi solum habeant tantum insigne, sed etiam ut cum eo crementur mortui (3). » Dubitat Mommsenus (4) utrum ii qui magistratibus functi erant cum honoris insignibus ordinariis cremarentur, an toga induerentur aut purpurea aut prætexta, prout quisque alterutram, semel tantum, inter sollemnia, induerat. Nempe constat magistros vicorum, de quibus hic agitur, togam prætextam, non nisi cum ludos ederent, solitos esse induere (5), haud secus ac prætores urbanos, in pari munere, purpuream (6). Cum vero hæc verba : « hic Romæ infimo generi magistris vicorum, » in omnibus mss. præter unum desint, aliasque etiam ob causas interpolata esse videantur, sive ob verborum compositionem ipsamque sententiam hoc loco intem-

(1) 24.
(2) Polyb., VI, 53.
(3) XXXIV, 7.
(4) *Staatsr.*, I, p. 425, n. 2.
(5) *Ibid.*, p. 407.
(6) *Ibid.*, p. 397.

pestivam, sive quia haud immerito aliquis judicaverit magistros vicorum ab Augusto tantum prætexta donatos fuisse (1), melius erit hæc prætermittere, et ad alia quæ pluris intersunt pergere.

Memoratur apud Tacitum et apud historiæ Augustæ scriptores funeris genus quod dicitur censorium (2), de quo duæ opiniones, inter se valde diversæ, proferuntur. Sunt enim qui opinantur funus censorium nihil aliud esse, mutato nomine, ac funus publicum, sive impensa publica, ex senatusconsulto, celebratum, censorium autem nomen ei indictum quia per censores locaretur, nomenque illud, etiam abolita censura, mansisse. Hanc opinionem a Gutherio propositam (3), Nipperdæus (4) et Beckerus (5) secuti sunt, Marquardtius (6) et Mommsenus (7) repudiant, contenduntque funus censorium ita appellatum quia censoriis insignibus decoraretur.

Attendamus primo quibus argumentis nitatur vel niti possit quæ a Marquardtio et a Mommseno brevioribus verbis exponitur opinio. Jam illud est a principio inquirendum an propria fuerint censuræ insignia. De censorum autem insignibus, cum in magistratu essent, auctores inter se dissentiunt. Prætextam togam eis Athenæus (8) tribuit, purpuream concedit Polybius. Is enim narrat hominibus, qui majorum personas in funeribus induerent, togas assumi, si quis vir consularis aut prætorius fuisset, prætextas, si censorius purpureas, si triumphalis, auro pictas (9). Polybium ita interpretatur Mommsenus (10), majorum imaginibus non insignia quidem indui quæ quisque vivus gessisset, sed commenticia quædam ornamenta, quibus cujusque dignitas ab omnibus facile cognosceretur, ceterum idem a Diodoro

(1) Cass. Dio, LV, 8. Vid. Weissenborn apud T. L., *l. c.*

(2) Censorium funus Tacitus quinquies memorat. Censorio funere elatos tradit Augustum et Claudium imperatorem (Cf. *Ann.*, XII, 69; XIII, 2); Tiberio imperante, Lucilium Longum (*ibid.*, IV, 15) et Ælium Lamiam (*ibid.*, VI, 27); imperante Vespasiano, Flavium Sabinum (*Hist.*, IV, 47). Pertinacis imagini funus censorium ductum Capitolinus (*Pertin.*, 15) et Spartianus (*Sept. Sev.*, 7) memorant.

(3) *De jure manium*, p. 172. Parisiis, MDCXV.

(4) Apud Tacit., *Ann.*, III, 5.

(5) *Gallus*, III, p. 357.

(6) *Privatleben*, I, p. 340, n. 16.

(7) *Staatsr.*, I, p. 425, n. 5, et p. 444, n. 2.

(8) XIV, 79, p. 660, Casaub., « τὴν περιπόρφυρον ἐνδεδυκότες. » Minus explicate Zonaras, « τῷ τῶν μειζόνων ἀρχῶν κόσμῳ... ἐχρῶντο. » VII, 19.

(9) VI, 53.

(10) *Staatsr.*, I, p. 396, n. 1. Cf. p. 430.

nuncupari his verbis : « Antecedit majorum unusquisque tali habitu ornatuque ut spectantibus manifestum fiat in quem dignitatis gradum provectus sit, et quatenus fuerit publicorum honorum particeps (1), » itaque togam purpuream, non censorum quidem in magistratu vel post magistratum insigne fuisse, at, post mortem, imaginum eorum qui censores fuissent. Ficta hæc nimirum ut cum Athenæo Polybius conciliaretur. Si vero Polybii locum integro judicio inspexerimus, Mommseni explicatio, ut callide inventa, ita longius deducta parumque probabilis videbitur. Nam, præterquam quod apparet detorta esse Polybii et Diodori verba, mirum plane foret, et ab eo quod sibi in imaginibus exhibendis Romani proponebant nimis alienum si, in illo majorum ad vitam quasi renascentium concursu, censorii viri insignia gessissent mortui, quæ vivi nunquam obtinuissent; præsertim cum ceteris qui inducebantur, sive consularibus, sive prætoriis, sua cuique insignia resumerentur (2). Illud quoque animadvertamus Athenæum potuisse pro toga purpurea prætextam minus scite vel diligenter dicere, cum post tam longam annorum seriem censores nulli essent, Polybio autem plus fidei habendum qui æqualis temporibus de quibus loquitur vixerit, nedum abolita jam et e memoria hominum oblitterata tradiderit. Neque hæc denique conjectura valebit, mutatis post Polybium censoriis insignibus, togam prætextam fuisse purpureæ substitutam. Nullum enim talis mutationis indicium inveniri potest, neque causa ulla excogitari.

Mommseno igitur adversamur asseverando togam purpuream censorum insigne fuisse, atque ita opinionem ejus de funere censorio confirmamus potius quam elevamus. Etenim si censores prætextam gerebant, latet quo pacto eorum funus ab ceterorum curulium magistratuum funere differre potuerit. Quod si contra purpura induebantur, manifestum est, si cui censorium funus, honoris causa, decretum esset, eum debuisse propriis censuræ insignibus, id est toga purpurea decoratum, efferri et cremari. Neque apud Romanos adeo insolitum erat dignitatis cujusdam insignia hominibus, qui eam vivi non adepti essent, mortuis decernere. Exstant nempe in municipiis tituli hominum quibus, post mortem, cum

(1) Didot, II, p. 503.

(2) Obscurum quidem est quid sibi velit Polybius his verbis : « ἐὰν δὲ καὶ τεθριαμβευκὼς ἤ τι τοιοῦτον κατειργασμένος, διαχρύσους, » *l. c.* At videtur, nostro judicio, ad prætorem urbanum allusisse ludos habitu triumphali celebrantem. Vide supra caput primum partis secundæ, p. 26.

aliis ornamentis, laudatione, statua, insignia quoque magistratuum quos nunquam gesserant, decreta sunt (1). Quorsum vero hæc? Habemus ex codicibus urbani tituli fragmentum, quem alterutri filiorum Augusti, Caio sive Lucio, referendum censuit Mommsenus, et in hunc modum certis prope supplementis restituit : « [*decrevit senatus ut interesset*] *consiliis publicis coi*[*retque inter senatores, cum*] *annum expleturus* [*erat XIIII*]...., *mortem ejus justitio per con*[*tinuos dies*]..... *omnes luxerunt*, *censu*[*ræ*]..... *insignibus decorata cu*..... (2). » Quo titulo, etsi infeliciter truncato, cum satis perspicue appareat in funere ejus qui laudatur censoria insignia adhibita fuisse, dubitatio omnis tollitur, et quid sit censorium funus apprime docemur. Adjice nunc censorium funus non nisi ab auctoribus Augusto recentioribus commemorari, nullamque ejus mentionem apud scriptores qui de liberæ rei publicæ temporibus dixerint factam reperiri, ex quo potest confici illud vocabulum non ante principatus ætatem usitatum fuisse; absurdum vero videri si, cum jam censura nulla esset, nullæque essent censoriæ locationes, tum demum publicum funus cœpisset a censura nomen ducere. Immo apparet funera, quæ olim publica dicebantur, principatus ætate etiam nunc celebrata, vel etiam frequentius decreta, nequaquam desiisse eodem vocabulo appellari (3). Quò vero pertinuisset ad rem unam exprimendam veteri vocabulo novum quoddam addere, alterumque pro altero sine lege aut discrimine usurpare? Constat igitur aliud censorio, aliud publico funere significari. Quod si quis miretur censoria ornamenta nemini vivo unquam concessa fuisse, reputet censuram ipsam, quo tempore usus ornamenta magistratuum

(1) *C. I. L.*, II, 4268. Titulus in basi statuæ P. Fabii quæ « *ex d(ecreto) d(ecurionum) Tarr(aconensium), quod factum post mortem ejus, posita est, adjectis ornamentis ædilicis* (sic). » Scilicet is fuerat cum toga prætexta crematus (Vid. T. L., XXXIV, 7. Horat. *Sat.*, I, 5, 36). Fasces quoque et sella curulis (de fascibus ædilium municipalium vid. Apul., *Metamorph.*, I, 24; de insignibus magistratuum municipalium Marquardt, *Staatsverw.*, I, p. 495-496) in lapide aliquando scalpebantur. Vide Herzog, *Galliæ Narbonensis historia. Appendix epigraphica*, 404. Vide etiam titulos hominum quibus ordo decurionum laudationem publicam, locum sepulturæ, statuam etc., nec non *ornamenta decurionatus* decrevit. *C. I. L.*, II, 1186, 1286. Fuerunt hi cum latoclavo cremati. Etenim ut magistratibus toga prætexta, ita decurionibus tunica laticlavia competebat. Horatius (*l. c.*) prætorem Fundanum prætexta et latoclavo decoratum inducit, prætexta scilicet ut prætorem, latoclavo ut decurionem.

(2) *Res gestæ*, p. 34.

(3) Tac., *Ann.*, III, 5, 48; VI, 11. Suet., *Vitell.*, 3. Plin., *Epist.*, II, 1, Cass. Dio, LIII, 30; LIV, 12.

conferendi exstiterit, vel abolitam esse, vel potius, non nisi a principibus, longis intervallis, solitam repeti, donec Domitianus et qui post eum venerunt censorium munus in perpetuum susceperint (1). Cur autem mortuis tantum eadem decerni solerent, haud scio an ea causa sit quia vivo alicui tributa eum cum principe nimis exæquare visa essent. Neque fugit cur non ante principatus tempora in usum venerit censorium funus decernere. Satis enim compertum est ejusmodi ornamenta, imaginaria tantum et ad ostentationem pompamque composita, a liberæ rei publicæ moribus abhorruisse.

Hæc atque talia in mentem veniunt quibus comprobari possit ea de funere censorio opinio. Quæ argumenta, licet magni sint momenti, tamen multum abest ut controversiam omnem dirimant. Imprimis, quod ad vocabuli novitatem attinet, haud scio an temere censeamus tale dicendi genus, quia apud veteres auctores nunquam occurrat, nunquam fuisse illis temporibus usurpatum. Infirma est igitur quæ de novitate illa deducitur argumentatio. Plus quidem valet tituli fragmentum de censoriis insignibus post mortem decretis. Atque huic argumento nihil fere objiciendum haberemus, nisi duobus Cassii Dionis locis res modo expedita denuo implicaretur. Invenimus nempe apud Tacitum censorium funus Augusto fuisse decretum (2), idemque postea imagini Pertinacis celebratum apud Capitolinum (3) et Spartianum (4) deprehendimus. Utriusque vero ceream imaginem cum toga triumphali expositam fuisse Cassius Dio memorat (5), eo magis de Pertinacis funere credendus quod ipse præsens interfuerit (6). Toga autem triumphalis a toga censoria erat dissimilis, etsi videatur antiquitus differentiam nullam exstitisse. Toga enim triumphalis, priusquam moris foret purpuræ aurum intexere, unde picta dicta est, purpurea sine pictura erat, togæque, quæ a censoribus induebatur, similis, sicut apud Festum legimus : « Picta quæ nunc toga dicitur, purpurea antea vocitata est, eaque erat sine pictura. Ejus rei argumentum est pictura in æde Vertumni, et Consi, quarum in altera M. Fulvius Flaccus, in altera T. Papirius

(1) Vide partem tertiam, caput secundum.

(2) *Ann.* Cf. XII, 69; XIII, 2.

(3) *Pertin.*, 15.

(4) *Sept. Sev.*, 7.

(5) LVI, 34 : « Εἰκὼν δὲ δή τις αὐτοῦ κηρίνη ἐν ἐπινικίῳ στολῇ ἐξεφαίνετο. » LXXIV, 4 : « Καὶ ἐς αὐτὴν εἴδωλόν τι τοῦ Περτίνακος κήρινον, σκευῇ ἐπινικίῳ εὐθετημένον, ἀνετέθη. »

(6) LXXIV, 4, 5.

Cursor triumphantes ita picti sunt (1) ». At jam a Polybii ætate institutum fuerat ut toga picta triumphatores uterentur. Is enim, loco supra laudato (2), censoriorum virorum imaginibus togam purpuream, triumphalium auro pictam tribuit (3). Sequitur inde duos illos imperatores, qui censorio funere elati sunt, minime fuisse censoriis insignibus decoratos, nisi forte, quæ quidem conjectura inanis est, ex tempore nescio quo, censoria toga, triumphalis togæ instar, pingi cœperit. Fac vero cœperit. Quid tunc profuisset defunctis imperatoribus honorem decernere qui eis utique jure obtigisset. Etenim toga picta, sive triumphalis, ab imperatoribus, non continuo quidem, sed inter sollemnia festaque gerebatur (4), unde opinari licet moris fuisse eandem eis et in funere indui. Quod si res non ita se habebat, Augustoque et Pertinaci toga picta præter consuetudinem ex senatusconsulto erat in funus eorum decreta, nihilo pertinebat funus illud censorium vocitari, cum potius triumphale diceretur. At, dicet aliquis, triumphalis toga imaginibus tantum Augusti et Pertinacis induta erat cum ipsi cum censoria cremarentur (5). Mirum foret mehercule si, cum maximus ambobus honos tribueretur, non fuissent ipsi, triumphali toga, quæ censoria multo splendidior erat, induti. His causis, ea sententia potior videbitur censorium funus idem esse ac funus publicum. Neque propter hoc negaverimus potuisse censoria insignia, sive togam purpuream, mortuis conferri, sicut ex titulo supra allato comperimus. Verum aliud erat censoria insignia, aliud censorium funus decernere.

(1) P. 209.

(2) VI, 53.

(3) Tunica palmata togæ pictæ conjuncta erat. Becker-Marquardt, *Handb.*, III, II, p. 448.

(4) Momms., *Staatsr.*, I, p. 401.

(5) Quid quod illud de Augusto tantum potest conjici, siquidem Pertinacis imagini, non corpori, pompa deducta fuit? Cass. Dio, LXXIV, 4-5. Capitol., et Spart., *l. c.*

CAPUT TERTIUM.

DE CONDICIONE EORUM QUI FUNCTORUM MAGISTRATUUM ORNAMENTIS DONATI ERANT.

Possumus nunc, cum definitum sit quæ ornamenta, post magistratus gestos, competerent, de eorum condicione peritius dicere, qui magistratuum ornamenta, etsi eosdem non gessissent, accipiebant. Et jam videtur ea quæstio his quæ supra diximus expedita et illustrata fuisse, siquidem, quod ad ornamenta spectabat, pari condicione utrique habebantur. Hoc enim vocabulo quæcumque ad habitum et vacua quasi decora pertinerent Romani complectebantur, quare potuit Nero, iis qui neglectam Octaviam reprehendebant, per ludibrium respondere : « *sufficere illi debere uxoria ornamenta* (1), » significans videlicet eam amisisse quæ ex conjugio obtinuisset jura, retentis tantum honoribus. Quæcumque igitur de vestitu, quæcumque de funere eorum qui magistratum aliquem gesserant statuimus, sunt hic repetenda. De funere quidem nihil apud auctores memoratur quod rem, per se satis credibilem, plenius confirmet. De toga prætexta habemus verba Dionis de senatoribus in Sejanum contumelias ingerentibus : « ὃν τῷ περιπορφύρῳ ἱματίῳ ἐκεκοσμήκεσαν, ἐπὶ κόῤῥης ἔπαιον (2). » Quibus verbis ad ornamenta tantum prætoria Sejano decreta (3) potest alludi, non ad consulatum anno post Ch. n. 31 gestum. Consulatum enim a principe, ornamenta a senatu acceperat (4). De calceis patriciis exemplum præbet Quintilianus,

(1) Suet., *Nero*, 35.
(2) LVIII, 11.
(3) LVII, 19.
(4) Vide infra. Cf. Momms., *Staatsr.*, I, p. 443, n. 4.

de quo, cum consularibus ornamentis donatus esset (1), dixit Juvenalis :

Appositam nigræ lunam subtexit alutæ (2).

Qui ornamentis donati erant, haud secus ac qui magistratus gesserant (3), non continuo quidem iis utebantur, at quotiescumque senatus universus, sive in ludis, sive in epulis, sive ob aliam pompam celebrandam publice coibat, inter senatores admissi, togam calceosque induebant, locumque videlicet obtinebant singuli pro dignitate quam quisque fuerat adeptus, qui consulatus insignibus ornati erant, inter consulares, qui præturæ, inter prætorios, etc. Præterquam enim quod nonnisi inter sollemnia hæc facultatem insignia ostentandi habebant, siquidem illi ipsi qui curuli magistratu vere functi erant iisdem tantum diebus solebant prætextati conspici, jam inde a libera re publica senatoriis ornamentis continebatur jus inter senatores epulandi spectandique. Recurrat Ciceronis locus, pridem relatus : « Popillium, quod erat libertini filius, in senatum non legit, locum quidem senatorium ludis et cetera ornamenta relinquit (4). » Item, apud Suetonium (5), simulque apud Cassium Dionem (6), Augustus traditur senatori-

(1) Auson., *Grat. act.*, p. 290. Edit. Bipont.

(2) VII, 192. — De Vettio Crispino, Bolani, anno post Ch., n. 67 cos., filio, antequam cursum honorum ingressus esset, ita loquitur Statius (*Silv.*, V, 2, v. 28):

Sic te, clare puer, genitum sibi curia sensit,
Primaque patricia clausit vestigia luna.

Ex quo is videtur ornamenta curulis magistratus, nescio cujus, admodum puer accepisse. Cf. in Henzeni indice exempla puerorum qui sive ornamenta decurionalia acceperunt, sive in ordinem decurionum adlecti sunt. Item Tib. Claudius Bradua Atticus, Herodis Attici filius, ipse quoque pueritia nondum egressus, calceis patriciis decoratus est. *C. I. G.*, 6280 b., v. 23. Cf. 6185. De utroque vide Willems (*Sénat*, I, p. 126, n. 3), cui tamen consentire nequimus calceos patricios potuisse absque ceteris ornamentis, sive consulatus, sive præturæ, sive ædilitatis curulis, tribui. Neque enim invenimus, post liberam rem publicam, magistratuum ornamenta disjuncta unquam decreta fuisse. De Attico, vid. Dittenberger, *Die familie des Herodes Atticus*. Hermes, 1878, p. 78-82. Ceterum, opinatur is calceos patricios fuisse patriciæ dignitatis insigne.

(3) Vide partem secundam, caput primum.

(4) *Pro Cluentio*, 47.

(5) *Aug.*, 35.

(6) LIV, 14.

bus quibusdam, quos induxerat vel compulerat ut sese excusarent, servavisse insigne vestis, et spectandi in orchestra epulandique publice jus. Legitur quidem apud Dionem de quæstoriis ornamentis Græcinio Laconi et de prætoriis Nævio Sertorio Macroni decretis « Laconi quæstoria, Macroni prætoria ornamenta tribuerunt, permiseruntque ei ut sibi in spectaculis assideret, ludisque votivis prætexta uteretur (1). » Ne quis vero inde concludere velit, jus cum senatoribus spectandi ita non senatoriis ornamentis contineri, ut mentio ejus separatim fieri deberet, si forte insuper additum fuisset, at potius statuat verba quæ sequuntur de facultate senatorio loco spectandi ideo tantum adscripta esse, quo planius appareret in qualem dignitatis gradum ambo fuissent provecti, nedum his verbis novus aliquis honos significaretur qui præterea supervenerit. In qua quidem quasi glossula jus epulandi præteritum est, at nemine eorum, qui tunc legebant, ignaro. Quare Mommsenus opinatur pro « αὐτῷ, » « οὕτω » ponendum (2), atque hæc conjectura eo magis probanda est, quod lectio « αὐτῷ » utique offendit, cum videatur Laconem ornamentorum beneficiis immerito excipere. Accedit quod neque in titulis urbanis, neque in historiis ullus traditur cui jus cum senatoribus spectandi epulandive extra senatoria ornamenta concessum fuerit. Vix enim intelligimus, si tale jus soleret ab ornamentis disjungi et separatim aliquando tribui, id nusquam compertum esse. Habemus quidem exempla hominum quibus locus inter senatores, ludis publicis, sine honoris ullius adjunctione, assignatus est, verum ea ad peregrinos pertinent. Apud Cassium Dionem legimus barbarorum regum legatos a Trajano inter senatores in spectaculis collocatos fuisse (3). Narratur apud Justinum Massiliensibus, propterea quod Romam, a Gallis captam incensamque, publico funere prosecuti essent, immunitatem decretam, et locum spectaculorum in senatu datum, et fœdus æquo jure percussum (4). Titulos urbanos diximus : aliter enim in municipiis. In quibus primo suppetit lex coloniæ Juliæ Genetivæ cum tribus capitibus de locis ludorum spectandorum causa, sive circensium, sive scænicorum, attribuendis (5). Neque decurionibus modo lo-

(1) LVIII, 12. « ... Λάκωνι μὲν τὰς τῶν τεταμιευκότων, Μάκρωνι δὲ τὰς τῶν ἐστρατηγηκότων, ἔδωκαν · καὶ αὐτῷ καὶ συνθεᾶσθαι σφίσι καὶ ἱματίῳ περιπορφύρῳ ἐν ταῖς εὐκταίαις πανηγύρεσι χρῆσθαι ἐπέτρεψαν. »

(2) *Staatsr.*, I. p. 443, n. 4.

(3) LXVIII, 15.

(4) XLIII, 5.

(5) *Ephem. epigr.*, II, 1874, p. 113, 114; CXXV, CXXVI, CXXVII.

cus ludis spectandis separatus datur, verum definitur quinam, præter ipsos decuriones, ad ejusdem loci communionem admittantur, inter quos nominantur ii quibus, decurionum decreto, locus datus est inter decuriones. Hoc articulo eos designari quibus ornamenta decurionalia data relictave sint Mommsenus opinatur (1), nec immerito, quandoquidem inter ornamenta decurionalia locus decurionalis necessario continetur, at latius patere legem nos dixerimus, cum ornamenta sine loco decerni nequeant, locus vero possit sine ornamentis. Asservatur nempe in musæo Lugdunensi titulus Minthatio, vel M. Inthatio, negotiatori vinario, dedicatus, cui « *ordo splendidissimus civitat(is) Albensium consessum dedit* (2). » Hæc verba nobis videtur prave intellexisse inscriptionum Lugdunensium editor idem et interpres (3), cum reputet M. Inthatium inter decuriones Albenses admissum fuisse. Quod si ita esset, diceretur potius in ordinem adlectus aut cooptatus, quæ formula loquendi cum aliis quibusdam haud absimilibus in sermone epigraphico usurpari solet. De consessu autem quid sit putandum auctorem habemus Suetonium in Augusti vita : « Spectandi confusissimum ac solutissimum morem correxit ordinavitque, motus injuria senatoris quem Puteolis per celeberrimos ludos *consessu* frequenti nemo receperat (4). » Citandus quoque Cicero in oratione de haruspicum responsis : « ... quibus ludis primum ante populi *consessum* senatui locum P. Africanus... dedit (5). » Cum igitur comprobatum sit hoc verbum ad ludos spectandos pertinere, satis ex toto titulo constat Inthatio datum fuisse ut cum decurionibus spectaret, cui, si, cum consessu cetera decurionalia ornamenta decreta fuissent, mirum foret, pro apto vocabulo quod rem plane expressisset, vocabulum ineptum vel certe rei impar adhibitum fuisse. Ecce autem centumvirorum Veientium decretum, anno post. Ch. n. 26, ut C. Julius Divi Augusti libertus Gelotes « *Augustalium numero habeatur, æque ac si eo honore usus sit, liceatque ei omnibus spectaculis... bisellio proprio inter Augustales considere, cenisque omnibus publicis inter centumviros interesse...* » (6). Manifestum est huic partem tantum decurionalium ornamentorum, scilicet jus cum centumviris, sive decurionibus, epulandi, fuisse concessam, cum in spectaculis

(1) *Ibid.*, p. 131.
(2) Boissieu, *Inscript. de Lyon*, p. 208-209. Henzen, 7007.
(3) Boissieu, *l. c.*
(4) 44.
(5) 12.
(6) Wilmanns, 2079.

inter Augustales consessum haberet. Unde sequitur potuisse in municipiis ornamenta disjungi, locumque inter decuriones iis etiam assignari quibus decurionum insignia negata fuerint. Cur vero disjunctionis hujus exemplum nullum in Urbe reperiatur, utrum forte, quia nullum servatum sit, an quia nullum unquam exstiterit, dijudicare nos supersedemus.

De jure imaginum, an iis competeret qui curulis magistratus ornamenta accepissent, nihil inquirendum opinatur Mommsenus, cum, his temporibus, jus illud, non nisi apud gentes, jam inde a libera re publica nobiles, continuatum, apud ceteras pæne abolitum esse videretur (1). Quod ad jus vehiculis in Urbe utendi attinet, minime dubium est quin idem de senatoribus, idem de iis qui senatoriis ornamentis decorati essent, præscriptum fuerit. Itaque ad utrosque referendum quod in vita Alexandri Severi invenimus : « carrucas Romæ et redas senatoribus omnibus ut argentatas haberent permisit, interesse romanæ dignitatis putans, ut his tantæ urbis senatores uterentur (2). » Item sella operta qua consulares viri, tertio post Ch. n. sæculo, utebantur (3), erat sane cum consularibus ornamentis concessa. Majoris momenti foret explorare an interdictiones et immunitates quæ de senatoribus edictæ fuerant, de iis quoque qui senatoria ornamenta habebant valerent. Verum, si quid est de hac re quod statuere possimus, præstabit illud ad tertiam commentationis hujusce partem rejicere (4).

Præter illos honores, et alios forsitan ejusdem generis, — fieri enim potuit ut, veterum historias diligenter excutiendo, quædam omiserimus, vel ipsæ historiæ quædam omiserint, — nihil magis obtinebant qui senatorii alicujus magistratus ornamentis honorati fuerant. Licet enim senatoribus inter sollemnia festaque miscerentur, tamen neque curiæ aditus eis patebat, neque dignitas senatoria erat tributa. Quod, etsi plurimis exemplis jam a Zumptio et a Nipperdæo illustratum, tamen hic denuo repetere et amplius demonstrare operæ pretium est.

Claudio honores petenti Tiberius patruus consularia tantum ornamenta detulit (5). Neque ideo Claudius senator factus est. Nam, cum postea senatus censuisset ut jus ei sententiæ inter

(1) *Staatsr.*, I, p. 441, n. 1. Cf. p. 433.
(2) Lamprid., *Alexand. Sever.*, 43.
(3) Cass. Dio, LX, 2.
(4) Vide tertiæ partis caput ultimum.
(5) Suet., *Claud.*, 5.

consulares dicendæ esset, excusavit Tiberius imbecillitatem ejus (1). Quin etiam, Tiberio principe, equester ordo bis eum patronum perferendæ pro se legationis elegit (2), eandemque provinciam sub Caio Cæsare sustinuit (3). Quod quidem Cassius Dio memorans addit eum in equestri ordine mansisse, donec demum, licet jam sex et quadraginta annos natus, et consul et senator simul a Caio factus sit (4).

Claudio principe, anno 49, consularia insignia Junio Ciloni, prætoria C. Julio Aquilæ decernuntur (5). Junius Cilo tum procurator Ponti erat (6), at quæ postea munera gesserit, quosve honores consecutus sit, nescimus. C. Julius Aquila, qui paulo ante eques romanus a Tacito dicitur (7), traditur, novem annos post, anno scilicet 58, titulo Bithynico, Neronis imperatoris in Bithynia procurator fuisse (8). Ad eundem videtur titulus Neapolitanus pertinere, in quo non nisi equestria munera cum municipalibus honoribus commemorantur (9).

Claudio principe, Rufrius Crispinus, quem, anno 47, præfectum prætorii esse novimus (10), eodem anno insignibus præturæ ornatus (11), anno 51 præfecturam prætorii etiamnunc obtinet (12), et dicitur postea, anno 58, eques romanus (13). Anno 66 Neronis invidia oppressus, accepto jussæ mortis nuntio, semet interficit. Ejus mortem memorat Tacitus, traditque consularia ornamenta ei decreta fuisse, sive reapse post prætoria decreta fuerint, sive ea pro prætoriis per indiligentiam posuerit. Simul eum equitem, dignitate quidem senatoria, equitem tamen nominat (14). Erant enim equites digni-

(1) *Ibid.*, 6.
(2) *Ibid.*
(3) Cass. Dio, LIX, 6.
(4) *L. c.*
(5) Tac., *Ann.*, XII, 21.
(6) *Ibid.* Cf. Cass. Dio, LX, 33.
(7) *Ann.*, XII, 15.
(8) *C. I. L.*, III, 346.
(9) *C. I. G.*, 5790. Cf. *Bullett. dell' Instit. di Corrispond. arch.*, 1852, p. 76.
(10) Tac., *Ann.*, XI, 1.
(11) *Ibid.*, 4.
(12) *Ibid.*, XII, 42.
(13) *Ibid.*, XIII, 45. — Præfectura prætorii usque ad Alexandri Severi principatum equestre munus fuit, et a senatoribus rarissime et extra nornam gestum (Lamprid., *Alexand. Sever.*, 21. Vid. Momms., *Staatsr.*, II, p. 830). De præfectorum prætorii post hanc ætatem senatoria dignitate, vid. Hirschfeld, *Untersuch.*, I, p. 235, n° 73ª.
(14) *Ann.*, XVI, 17.

tate senatoria equestris ordinis principes, per quos equester ordo cum senatorio ordine quodammodo conjungebatur. Verum de his posterius.

De Nævio Sertorio Macrone qui, ab anno 31 usque ad annum 38 præfectus prætorii (1), anno 31 prætoriis insignibus donatus est, nihil dicimus, quoniam videtur ea recusavisse (2). At P. Græcinius Laco qui, eodem tempore præfectus vigilum, decreta ornamenta quæstoria, haud aliter ac Macro prætoria, recusavit (3), tredecim annos post, anno scilicet 44, procurator in Gallia, ornamenta consularia accepit, simulque, quod et Rubrio Pollioni, præfecto prætorii, dabatur, sedem in senatu « ἕδραν ἐν τῷ βουλευτικῷ, » quotienscumque principem in senatum comitaretur (4). Quod si, datis senatorii magistratus ornamentis, senator factus fuisset, nihil opus erat sedem ei in curia concedere (5).

Nymphidius Sabinus anno 65 consularia ornamenta accepit (6), quem, nihilominus, Galba principe, præfectum prætorii invenimus (7).

Arrius Varus, præfectus prætorii, ineunte Vespasiani principatu, anno 69, prætoria insignia accipit (8), nihiloque minus, insequenti anno, præfectura prætorii pulsus, annonæ præficitur (9), quæ et ipsa equestris dignitas, minor quidem, erat.

Nerva principe, Cn. Octavius Titinius Capito, iterum ab epistulis imperatoris, prætoria ornamenta accipit. Is postea tertio ab epistulis imperatoris Trajani, ac deinde præfectus vigilum fuit (10).

(1) Hirschfeld, *Untersuch.*, I, p. 219, nº 6.

(2) Cass. Dio, LVIII, 12.

(3) *Ibid.*

(4) LX, 23.

(5) Vide de eodem titulum Veronensem. *C. I. L.*, V, 3340 : « *P(ublio) Græcinio P(ublii) f(ilio) Pob(lilia) Laconi ornamentis consularibus.* » Vid. Hirschfeld, *Untersuch.*, I, p. 145, nº 1.

(6) Tac., *Ann.*, XV, 72.

(7) Tac., *Hist.*, I, 5. Plut., *Galba*, 13-14.

(8) Tac., *Hist.*, IV, 2, 4.

(9) *Ibid.*, 68.

(10) Wilmanns, 1248. « *Cn(æus) Octavius Titinius Capito, præf(ectus) cohortis, trib(unus) milit(um), donat(us) hasta pura, corona vallari, proc(urator) ab epistulis et a patrimonio, iterum ab epistulis divi Nervæ, eodem auctore ex s(enatus) c(onsulto) prætoriis ornamentis, ab epistul(is) tertio Imp(eratoris) Nervæ Cæsar(is) Trajani Aug(usti) Ger(manici), præf(ectus) vigilum, Volcano d(onum) d(at).* » Titulus positus inter annos 98 et 102, cum Trajanus nondum Dacicus appelletur. — Vide de eodem Plin., *Epist.*, I, 17 ; V, 8 ; VIII, 12.

Ex Cassio Dione comperimus C. Fulvium Plautianum a Severo imperatore consularibus insignibus ornatum fuisse, ac postea demum inter senatores adsumptum, consulemque factum (1).

Exstat titulus coloniæ Ulpiæ Œscensium, M. Aurelii Antonini ætate, in quo Julius quidam Capito dicitur ab ordine coloniæ jus sententiæ accepisse, « *decretis jam pridem ab eodem ordine ornamentis IIviralibus* (2). »

Notandum denique quod in Livii periocha cxviii de C. Cæsaris Octaviani extraordinariis honoribus supra invenimus : « Imperium a senatu datum est cum consularibus ornamentis, *adjectumque ut senator esset.* » (3).

De iis qui senatores non erant hactenus. Attendamus nunc ad eos qui, cum senatores essent, splendidioris magistratus ornamentis, quam quem adhuc gessissent, decorabantur. Erat quidem extra solitum talem honorem in senatores conferri. Sicut enim per municipia, libertinis hominibus præcipue, quos lex vetabat adlegi inter decuriones, si de civitate bene meriti essent, munificentiæ præmia, ornamenta sive decurionalia, sive duumviralia, decernebantur (4), ita, in Urbe, magistratuum ornamenta iis conferebantur, quibus non licebat magistratus ipsos adipisci, procuratoribus scilicet præfectisque. Itaque senatores, qui tali honore decorati fuerint, paucissimos novimus, omissisque quos libera re publica recensuimus, omissis quoque adulescentulis ex propinquitate Augusti, de quibus alias dicendum erit, quattuor modo occurrunt in legatione legionis consularibus ornamentis donati, Fulvius Aurelius, Tettius Julianus, Numisius Lupus, ab Othone (5); Primus Antonius ab Vespasiano (6). Inquirendum igitur an illi cum consularibus ornamentis jus quoque inter consulares sententiæ dicendæ adepti sint. Quæ quidem quæstio, jam in prima commentationis nostræ parte, cum de extraordinariis honoribus Octaviano decretis dissereremus, nobis proposita, in hujus temporis ac loci opportunitatem est dilata. (7) De hac quæstione Nipperdæus et Mommsenus dissentiunt. Opinatur Nipperdæus (8) si quis prætorius vir consularibus

(1) XLVI, 46.
(2) *C. I. L.*, III, 753. Cf. Wilmanns, 2408.
(3) Vide partem primam, caput tertium
(4) A. W. Zumpt, *Commentationes epigraphicæ*, I, p. 134.
(5) Tacit., *Hist.*, I, 79.
(6) *Ibid.*, IV, 4.
(7) Vide partem primam, caput tertium.
(8) P. 79.

ornamentis decoratus esset, eum, etsi inter consulares, in theatro epulisque, sollemnibusque aliis, locum haberet, tamen in curia non desinere prætorio loco sententiam, ut antea, dicere, argumentoque est quod ornamenta ad ostentationem tantum pertinerent, jus autem sententiæ aliquo loco dicendæ cum quadam auctoritatis amplificatione esset conjunctum. Quod negavit Mommsenus (1), contenditque multum quidem interesse utrum aliquis jus sententiæ haberet necne, minime vero quo loco haberet, ad auctoritatem illud, ad inanem speciem hoc pertinere, perspicuum inde cur ei, qui nec senator esset nec fieret, tributa senatorii magistratus ornamenta jus in senatu sententiæ dicendæ nullo modo dare possent, at contra, nullum impedimentum esse quominus aliquis qui, jampridem senatorio magistratu functus, eminentioris magistratus ornamenta accepisset, eminentiorem quoque in senatu locum adipisceretur. Exemplumque affert Germanici Cæsaris, qui, cum triennio ante, anno post Ch. n. 7, quæstor factus (2), jam inde in senatu inter quæstorios sententiam diceret, anno 10, ornamentis prætoriis decoratus est, addito ut sententiam haberet ab consularibus proximam (3), primus igitur inter prætorios. Perpendamus exemplum illud quanti valeat. Si levius attenderimus, ad infirmandam Mommseni opinionem potius aptum esse videbitur. Nempe, si jus sententiæ prætorio loco dicendæ ex prætoriis ornamentis necessario sequebatur, nihil proderat mentionem ejus seorsum fieri, ita ut, ex hac mentione facta, liceat inferre prætoriam sententiam prætoriis ornamentis, eximio principis beneficio, Germanico superadditam fuisse. Deprehendimus vero, diligentius rem inspiciendo, decretos Germanico honores proprium aliquid et singulare habuisse. Non enim inter prætorios modo sententiam dicebat, verum primus inter prætorios, proximusque ab consularibus, quod plane insolitum erat, siquidem prætorii ordine rogabantur, prout quisque præturam gesserat, et ante prætorios, a consularibus proximi, qui prætores designati erant (4). Intelligitur ita cur de sententia simul cum ornamentis decreta Dio tradiderit, neque ex hoc concludere licet ornamenta prætoria sine prætoria sententia po-

(1) *Staatsr.*, I, p. 442.

(2) Cass. Dio, LV, 31.

(3) *Id.*, LVI, 17. « ... τό τε τὴν γνώμην πρώτῳ μετὰ τοὺς ὑπατευκότας ἀποφαίνεσθαι. »

(4) Vid. Willems, *Sénat*, II, p. 181, 182. De principatus temporibus, vid. Tac., *Ann.*, III, 22, et Nipperdæi notulam huic loco adscriptam. Cf. Plin., *Epist.*, II, 12.

tuisse concedi, neque magis patet eadem esse necessario conjuncta. Nihil igitur valet in alterutram sententiam quod ex exemplo Germanici deducitur argumentum. Dubito etiam num multo magis ad rem pertineat titulus Capuanus ita inscriptus : « *P(ublio) Aelio P(ublii) fil(io) Philologo, Aug(ustali), decurioni Capuæ, ornato sententia IIviral(i), Aelia Aphrodisia mater, et sibi fecit* (1). » Ambigi enim potest utrum P. Ælius, cum decurio esset, ornamenta tantum duumviralia acceperit, dictusque sit ornatus sententia duumvirali, propterea quod sententia ex ornamentis necessario consecuta sit, an, quod magis honorificum esset, jure sententiæ donatus fuerit, unde ornamenta necessario essent consecuta. Neque negaverimus nos in posteriorem opinionem inclinare, vel potius arbitrari hoc verbum « ornatus » pro hoc altero « donatus » positum esse, nedum de concessis duumviralibus ornamentis quidquam significet. Quæ cum ita sint, quid restat nisi ut, eo, unde profecti sumus, revoluti, respiciamus quæ de Octaviani honoribus explicata sunt, argumentumque inde, ceteris validius, atque idem unicum quod valeat, colligamus (2)? Scilicet, docuimus primo apud auctores, qui de Octaviano, senatore facto, tradiderunt, sive consularem locum, sive consularia ornamenta memorari, quasi nullum discrimen interesset, alterumque ex altero necessitate quadam penderet. Quod et perspicuum magis ex his Cassii Dionis verbis apparuit : « (Cæsarem) ornamentis consularibus (senatus) decoravit, ita ut sententiam etiam inter consulares jam inde haberet (3). » Exploratum deinde habuimus, tempora computando, non fieri potuisse quin Octavianus, in senatum adlectus, et consularibus ornamentis donatus, consulari loco interdictus fuerit. Statuere igitur possumus ratam esse Mommseni opinionem, et, quod ad senatores attinet, locum sententiæ dicendæ esse cum ornamentis conjunctum.

Aliud vero erat locum quemdam obtinere in sententia dicenda, aliud in magistratibus petendis. Itaque ornamenta magistratuum decreta non poterant pro magistratibus gestis haberi, ut qui, exempli causa, prætoria ornamenta accepisset, si consulatum adipisci vellet, deberet nihilominus minores magistratus gerere, nedum cursus honorum ei esset maturatus. Valet illud de senatoribus æque et de iis qui senatores non erant.

Exempla nota sunt :

(1) *I. R. N.*, 3630.
(2) Vide partem primam, caput tertium.
(3) XLVI, 41.

Tiberius prætoria ornamenta anno 735 U. C. = 19 accepit (1), annoque 738 U. C. = 16 prætor fuit (2).

Drusus senior ornamenta prætoria accepit anno 739 U. C. = 15 (3), prætorque fuit anno 743 U. C. = 11 (4).

Invenimus apud Gorium (5) titulum Arretinum de homine qui, cum quæstor fuisset, prætoriis ornamentis decoratus, videtur postea ad præturam accessisse.

Exstant quoque tituli municipales ex quibus apparet haud aliter in municipiis institutum fuisse. Habes nempe, inter plurima, exempla Sex. Quinctilii Vari Maximi (6) et C. Julii Juniani (7), qui ambo duumviratum gesserunt, duumviralibus ornamentis jam antea honorati.

Nihil contra valet L. Ælii Sejani exemplum qui, cum præfecturam prætorii obtineret, post prætoria ornamenta (8), consulatum adeptus est, anno 31 (9). Constat enim, ex iis quæ modo exposita sunt, Sejanum, legibus solutum, atque extra ordinem, ad summum magistratum, nullo alio gesto, accessisse, nedum, propter prætoria ornamenta decreta, prætorius vir habitus fuerit.

Item, nihil valet quod legimus bis apud Dionem de prætura Tiberii et Drusi senioris : « prætor fuit etsi jam antea prætoriis ornamentis decoratus (10). » Inepte enim illud dictum fuisse ex ipso Dione comperimus, quem merito suspicamur nimis hic ad ætatis suæ consuetudinem respexisse. Non quod decreta magistratus ali-

(1) Cass. Dio, LIV, 10.

(2) 19.

(3) 22.

(4) 32. — Apud Cassium Dionem legitur, « ἀγορανόμος ἀπεδείχθη, » quod verti debet : « ædilis factus est. » Errorem vero, sive Dionis, sive librarii cujusdam facile coarguimus. Etenim : 1°) Hæc verba sequuntur « etsi prætoria ornamenta jam adeptus » quæ multo magis congruunt si prætura data fuerit; 2°) Druso licebat, utpote patricia gente orto, ædilitatis gradum prætermittere (Momms., *Staatsr.*, I, p. 536, 537), quod mirum foret eum non fecisse, cum Tiberius frater fecerit, qui ex quæstura ad præturam accessit (V. Pauly, *Encykl.*, VI, p. 1932); 3°) De prætura Drusi memoratur capite sequente, 33 : « decretum est ut, *peracta prætura*, cum proconsulari imperio esset.... » Cf. capite 34 : « ludi qui ad *præturam* ejus (Drusi) pertinebant maximo sumptu celebrati fuerunt. » Itaque Nipperdæus ἀστυνόμος, id est « prætor urbanus, » recte ponit.

(5) Gori, *Inscriptiones antiquæ in Etruriæ urbibus exstantes*, II, p. 294. Caute dictum sit. Titulus enim vel totus vel certe partim est spurius.

(6) *C. I. L.*, III, 384.

(7) *Ibid.*, 392. Cf. Wilmanns, 2407.

(8) Cass. Dio, LVII, 19.

(9) LVIII, 4.

(10) LIV, 19, 32.

cujus ornamenta pro magistratu gesto ita unquam habita fuerint, ut licuerit magistratum majorem petere, tanquam is minor fuisset revera usurpatus, at consularia ornamenta cœperunt aliquando pro primo consulatu reputari. Auctor est Dio hisce verbis : « (C. Cæsar Octavianus, consul factus), licet antea consularibus ornamentis decoratus fuisset, tamen se iterum consulem non prædicavit, atque ea consuetudo usque ad nostram ætatem stetit. Primus enim Severus imperator, cum Plautianum consularibus ornamentis donatum in senatum postea adsumpsisset consulemque creavisset, iterum eum consulem renuntiavit, fuitque illud etiam de aliis inde usurpatum (1). » Fidem Dioni faciunt tituli in quibus Plautianus anno 203 II consul cum P. Septimio Geta dicitur, etsi consulatum antea nunquam gessisse videatur (2). Institutum a Severo morem et a filio ejus retentum Macrinus in se observari vetuit, qui anno 218 consul factus est, et consularibus ornamentis antea donatus, noluit tamen se consulem iterum renuntiari, idemque de Advento jussit, qui, postquam collega ejus in præfectura prætorii fuerat, eodem etiam anno consulatum adeptus est (3). Demonstrat quidem Eckhelius (4) nummorum testimonia cum eo quod a Dione traditur haud ita congruere. Etenim, ut argumentationem ejus breviter colligamus, Macrinus XI Aprilis anni 217 imperium adeptus est, et usque ad diem VIII Junii anni sequentis retinuit. Numeravit igitur tribunatus duos, et cum consul processerit kalendis januariis anni 218, jam, priore anno, ornamentis consularibus decoratus, necesse est, si ad antiquum morem reversum erat, et ornamenta consularia veri consulatus instar computari desierant, consulatus II nunquam sit cum tribunicia potestate iterum usurpata conjunctus. Exstant tamen nummi anni 218 ita inscripti. Immo exstant alii anni prioris cum tribunicia potestate simplice consulatum simplicem indicantes, unde inferimus, et Macrino principe, Severi instituta mansisse, ornamentaque consularia pro vero consulatu, et verum postea gestum consulatum pro consulatu altero in honorificis saltem titulis valuisse. Cum vero nummos alios habeamus, sive anni 217 nihil de consulatu memorantes, sive anni 218 cum

(1) XLVI, 46.

(2) *C. I. L.*, VI, 220; VIII, 2557. Wilmanns, 2786. Vide tamen Orelli, 1420. « ... *Sept(imio) Geta II Plautiano cos.* » Deprehendimus inde novum morem nondum apud omnes prævaluisse.

(3) LXVIII, 13. Vid. Hirschfeld, *Untersuch.*, I, p. 231, 232, nos 62, 63.

(4) *D. N. V.*, VIII, p. 429, 430.

iterata tribunicia potestate consulatum indicantes simplicem, opinatur Eckhelius « monetarios hos receptum morem, alios imperantis voluntatem secutos, quæ fortasse præcepti rigorem non habuerit, ipsis etiam consularibus eam adimplere tergiversantibus, quorum ambitioni Macrinus novo hoc suo instituto male consuluerit. » Ceterum, quam vanum Macrini inceptum evaserit, titulus Trœsmensis demonstrat, anno 218 positus, ubi Adventus, nuper Macrini, nunc Elagabali principis collega consul II dicitur (1). Accedit exemplum P. Valerii Comazonis Eutychiani, sub eodem principe præfecti prætorii, ac postea præfecti urbis sub Alexandro Severo, qui, ornamentis consularibus donatus, dictusque ter consul, duos tantum consulatus videtur vere gessisse (2).

(1) *C. I. L.*, III, 6161. Jam titulum de Plautiani consulatu simplice supra memoravimus. Vide p. 54, n. 2.

(2) Vid. Hirschfeld, *Untersuch.*, I, p. 233, nº 68.

CAPUT QUARTUM.

DE MODO FUNCTORUM MAGISTRATUUM ORNAMENTA CONFERENDI ET DE IIS QUIBUS COLLATA SUNT.

Ornamenta magistratuum a senatu decernebantur, quod, etsi minime dubium, tamen, sive in titulis, sive in historiis haud ita elucet. De hominibus qui ornamentis magistratuum decorati fuerint titulos paucissimos habemus. Nobis certe quattuor modo suppetunt, scilicet P. Græcinii Laconis (1), Cn. Octavii Titinii Capitonis (2), M. Gavii Maximi (3), et M. Bassæi Rufi (4), quorum, cum unus tantum, Titinii scilicet Capitonis, ornamenta, ex senatusconsulto, auctore quidem Nerva principe, decreta fuisse memoret, ceteri rem in ambiguo servant, neque principem auctorem, neque senatum commemorantes. Quod si historias excusseris, res in plurimis locis non magis dirimitur (5). Immo videtur in quibusdam impe-

(1) *C. I. L.*, V, 3340. Vide p. 46, n. 5.

(2) Wilmans, 1248. Vide p. 46, n. 10.

(3) Wilmanns, 1638 *a* : « *M(arco) Gavio M(arci) f(ilio) Pal(atina) Maximo, præf(ecto) præt(orii), consularibus ornamentis ornato, T(itus) Claudius Firmus, p(rimi)p(ilus), ex cornicular(io) ipsius, l(oco) d(ato) d(ecreto) d(ecurionum).* »

(4) *Ibid.*, 638 : « *Bassaeo M(arci) f(ilio) S......... Rufo, pr(æfecto) pr(ætorii) [Im]peratorum M(arci) Aureli Antonini et [L(ucii)] Aureli Veri et L(ucii) Aureli Commodi Augg(ustorum), consularibus ornamentis honorato [e]t, ob victoriam Germanicam et Sarmatic(am) [A]ntonini et Commodi Augg(ustorum), corona [m]urali vallari, aurea, hastis puris IIII [to]tidemque vexillis obsidionalibus [ab iisdem] donato, præf(ecto) Ægypti, præf(ecto)........, proc(uratori) a rationibus, proc(uratori) Belg[icæ et du]arum Germaniarum, proc(uratori) regni [Nori]ci, proc(uratori) Asturiæ et Galleciæ, trib(uno) [coh(ortis) II] pr(ætoriæ), trib(uno) coh(ortis) X urb(anæ), trib(uno) coh(ortis) V vigil(um), p(rimi)p(ilo) bis. [Huic sen]atus auctoribus Impp(eratoribus) Antonino et [Commo]do Augg(ustis) statuam auratam in foro [divi Traja]ni et aliam civili amictu in templo [divi Pii], tertiam loricatam in tem[plo Martis Ultoris po]nendas censuit.* »

(5) Tac., *Ann.*, XI, 4; XII, 21; XVI, 17, 33. *Hist.*, I, 79.

rator ipse ornamenta contulisse (1). At alios etiam invenimus, et eos quidem ubi singula copiosius explicata sunt, ex quibus apparet penes senatum fuisse jus talem honorem conferendi. Tenemus quæ ratio fuerit prætoria ornamenta Pallanti decernendi. Censuisse in senatu consulem designatum narrat Tacitus (2), Pliniusque minor, indigno publici servitii exemplo commotus, remque turpis memoriæ in epistulis bis repetens, non titulum modo, quo Pallas gloriabatur ob ornamenta prætoria a senatu decreta (3), verum ipsius senatusconsulti partem transcripsit (4). Sunt et alia exempla (5) quæ singula repetere supervacaneum est. Itaque pro certo habemus ornamenta magistratuum nonnisi a senatu solita esse decerni, idque eo magis comprobatum videbitur, quod et ornamenta triumphalia a senatu decernebantur (6). Quod si sæpissime nihil memoratur de senatu, bene intelligitur non opus fuisse ut rem vulgatissimam æquales docerentur. Rursus, si aliquando memoratur princeps, tanquam si ipse unus honorem illum decrevisset, res ita videtur ad verum expressa fuisse, cum parvi profecto interesset de senatu mentionem fieri, quippe qui principem auctorem serviliter sequeretur. Statuere quidem licet omnes, qui jus relationis in senatu haberent, potuisse de decernendis alicui ornamentis referre, etsi exemplum nullum sit quemquam alium ac principem in senatu talis rei unquam auctorem fuisse. Censuisse enim de Pallante ornamentis prætoriis decorando Barcam Soranum ex Tacito comperimus (7), non retulisse, neque enim is, consul designatus, jus relationis habebat quod nonnisi fungentibus magistratibus competebat (8). Ceteris senatoribus illud modo datum erat ut, sententiam rogati, de re rogationi aliena eam ferrent, quod quidem relationem egredi dicebatur (9). Atque verisimile est eos qui, auctore principe, illo honore

(1) Cass. Dio, XLVI, 46; LVII, 19. Suet., *Claud.*, 5, 24. Capitol., *M. Ant. Philos.*, 10.

(2) *Ann.*, XII, 53.

(3) VII, 29.

(4) VIII, 6. Cf. Suet., *Claud.*, 28 : « .... Narcissum ab epistulis, et Pallantem a rationibus, quos decreto quoque senatus, non præmiis modo ingentibus, sed et quæstoriis prætoriisque ornamentis honorari libens passus est. »

(5) Cass. Dio, LVIII, 12. Tac., *Ann.*, XIII, 10 : « Cæsar consularia insignia Asconio Labeoni... petivit a senatu. » *Hist.*, IV, 4. Phil., *in Flacc.*, 7.

(6) Momms., *Staatsr.*, I, p. 450.

(7) *Ann.*, XII, 53.

(8) Willems, *Sénat*, II, p. 142.

(9) *Ibid.*, p. 185, 186.

decorati fuerint, tantum dignitatis additamentum non prætermisisse in titulis revocare, cum contra, si quis alius retulisset, taceretur.

Tempus est nunc ut singula ornamentorum genera persequamur, et qua quæque ratione adhibita fuerint inquiramus. Primo, operæ pretium est animadvertere hunc honorem, initio parcius tributum, deinde magis ac magis usitatum, et in promiscuitatem quamdam delapsum, in existimatione publica aliquantulum concidisse, ita ut qui olim quæstoria vel prætoria ornamenta satis habuissent, iis postea nonnisi consularia donarentur. Accedit etiam quod, non sine magno dignitatis detrimento, clarissima illa romanorum magistratuum insignia turpissimo hominum generi aliquando concessa fuerant. Omittamus Cæsarem dictatorem qui hominibus decem, at eisdem prætoriis, ornamenta consularia tribuit (1). Augustus fuit in ornamentis decernendis multo parcior, quippe qui consularia nunquam, aliaque tantum Cæsareæ domus propinquis contulerit. Traditur quidem a Suetonio, cum senatores quosdam ad excusandi se verecundiam compulisset, servavisse iisdem insigne vestis et spectandi in orchestra epulandique publice jus (2). Idem a Cassio Dione refertur his verbis : « Cum multi senatu moti essent, quorum nonnulli causas, ut in hujusmodi rebus fieri assolet, afferebant cur inique ejecti essent, iis tum Augustus inter senatores eodem habitu convivia et spectacula frequentandi, ac deinceps magistratus petendi copiam fecit (3). » Sunt ea senatoria ornamenta, ab exemplo P. Popillii, Cn. Cornelio Lentulo et Cn. Gellio censoribus, repetita (4), qualia autem postea nunquam adhibita fuisse videntur. Quos enim posthac invenimus lato clavo ornatos, ii quidem insigne nobilitatis senatoriæ gerebant, sed non videntur inter senatores locum obtinuisse, quam ob causam alias explicabitur (5). At erat illud ut præsens difficultas solveretur excogitatum, neque tam ut præmium daretur quam ut pensaretur facta injuria. Itaque non de vero et mero ornamentorum genere hic agimus.

Collata intra Cæsaream domum, Augusto principe, magistratuum ornamenta aliquid peculiare habebant quod notatione dignum est. Nempe, collatis ornamentis, jus quoque dabatur in se-

(1) Vide partem primam, caput secundum.
(2) *Aug.*, 35.
(3) LIV, 14.
(4) Vide partem primam, caput primum.
(5) Vide partem tertiam, caput ultimum.

natu sententiæ dicendæ, ita ut videantur ejusmodi honores inter ornamenta et adlectionem medii stetisse. Qui enim ornamentis simplicibus donabantur, non ideo in senatum admittebantur, quique in senatum adlecti referebantur in ordinem aliquem functorum magistratuum, non modo jus sententiæ, verum etiam cetera quæ eisdem jura competebant consequebantur. Senatus autem, cum ornamentis sententiam adderet, jure quodam cooptandi utebatur, præsertim cum plerumque, præter jus sententiæ, jus quoque honorum maturius adipiscendorum conferret. At illo quasi cooptationis jure nonnisi Cæsareæ domus adulescentulorum gratia utebatur. Immo incertum an integro eo post Augustum usus sit. Solebat enim postea adulescentulis domus Cæsaris viam ad honores citius petendos patefacere (1), at de decreta sententia mentio nulla occurrit. Notavit tantum Mommsenus (2) de L. Vero tradi eum in senatu ante quæsturam non sedisse (3), unde conjici potest fratri ejus, M. Aurelio, simul cum adoptatus esset et quæstor designatus (4), in senatu locum datum fuisse.

Ad Augusti tempora revertimur, qui, quod in se ipsum juvenem fuerat olim a senatu decretum, in adulescentulos domus suæ sæpius iteravit.

De Tiberio et de Druso fratre ejus nihil dicimus, quibus, cum cursus honorum esset maturatus, ornamentaque etiam magistratuum nondum gestorum collata essent, nihil, quod ad sententiam dicendam pertineret, additum fuit (5). At M. Claudius Marcellus, anno u. c. 730 = 24, ætatis vicesimo, simul cum jure magistratus decennio ante ætatem legitimam petendi sententiam inter prætorios adeptus est (6).

(1) Cass. Dio, LVIII, 23. Tacit., *Ann.*, XII, 41. *Hist.*, IV, 3. Capitol., *M. Anton. Philos.*, 5.

(2) *Staatsr.*, II, p. 903, n. 1.

(3) Capitol., *Verus*, 3.

(4) Id., *M. Anton. Philos.*, 5.

(5) Tiberius quæsturam, anno u. c. 730 = 24, ætatis undevicesimo, adeptus (Cass. Dio, LIII, 28. Vell. Paterc., II, 94. Cf. Eckhel, *D. N. V.*, VI, p. 182), ornamentis prætoriis anno 735 u. c. = 19 donatus est (Cass. Dio, LIV, 10). Drusus senior, anno u. c. 735 = 19, ætatis undevicesimo, impetravit ut magistratus quinquennio citius peteret (Cass. Dio, LIV, 10. Cf. Eckhel, VI, p. 175), annoque 739 u. c. = 15 est prætoriis ornamentis honoratus (Cass. Dio, LIV, 22).

(6) Cass. Dio, LIII, 28. Cf. Eckhel, VI, p. 161. Liquet sententiam prætoriam non sine ornamentis prætoriis fuisse decretam. Marcellus autem, licet inter prætorios collocatus, eodem anno ædilis curulis designatus est. Cass. Dio, *l. c.* Quo exemplo denuo docemur nullam esse loci in senatu cum loco in magistratibus petendis conjunctionem.

De Caio et Lucio Cæsare, in quos, post Marcelli et Agrippæ obitum, omnis Augusti spes conversa erat, ea traduntur. Narrat Dio anno 748 u. c. = 6, senatum petivisse (?) (1) ut Caio, nondum pueritia egresso, consulatus daretur, Augustum autem indignatum deprecatum esse ne talis unquam necessitas incideret, quali coactus ipse consulatum ante annum ætatis vicesimum iniisset, dedisse tamen ut in senatum iret, et inter senatores spectaculis epulisque interesset : « καὶ τὴν ἐς τὸ συνέδριον συμφοίτησιν, τό τε συνθεᾶσθαι, καὶ τὸ συνεστιᾶσθαι τῇ βουλῇ ἔδωκε. » Illud autem de ambobus fratribus decretum esse, aliosque honores insuper additos, luculentissimo testimonio docemur, Augusti scilicet in monumento Ancyrano : « *[Fil]io[s] meos quos juv[enes mi]hi eripuit fo[rtuna Ga]ium et Lucium Cæs[ares] honoris mei caussa senatus populusq[u]e Romanus annum quintum et decimum agentis consules d[e]signavit ut [e]um magistratum inirent post quinquennium. Et ex eo die, quo deducti [s]unt in forum ut interessent consiliis publicis decrevit senatus* (2). » Græca metaphrasis congruit. Accedit titulus jam supra relatus qui huc quoque pertinere videtur : « *[decrevit senatus ut interesset] consiliis publicis coï[retque inter senatores cum] annum expleturus [erat XIIII*, etc. (3). » Habemus quoque Zonaram ex quo accipimus Augustum consulem XII Caium Cæsarem virili toga induxisse, et in senatum simul introduxisse « ἐς τὸ βουλευτήριον ἅμα εἰσήγαγε, » annoque post idem in Lucium fecisse (4).

In hac documentorum copia, illud tamen obscurum manet quid potissimum de utriusque inter senatores adlectione statutum fuerit. Decreverat enim Augustus ut senatorum liberi, quo celerius rei publicæ assuescerent, protinus cum virilem togam induissent,

(1) Verba Dionis (LV, 9), male implicata sunt.

(2) II, 46. Vid. Momms., *Res gestæ*, p. 32.

(3) *Ibid.*, p. 34.

(4) X, 35. Errat manifesto Zonaras cum scribit eosdem honores *anno post* Lucio tributos fuisse. Uterque enim illos honores, quo tempore togam virilem sumeret, accepit (Vid. *Res gestæ*, p. 33-34) eratque Lucius Caio minor tribus annis (Eckhel, *D. N. V.*, VI, p. 169, 170). Ceterum ex Suetonio comperimus Augustum duodecimum, et rursus tertium decimum consulatum petiisse « ut Caium et Lucium filios, amplissimo præditus magistratu, suo quemque tirocinio deduceret in forum. » (*Aug.*, 26). Consul autem fuit XII anno 749 u. c. = 5; XIII, anno 752 u. c. = 2. Errat quoque Dio (LV, 9) cum scribit Caium anno 748 u. c. = 6 in senatum admissum fuisse. Quod si enim Suetonium (*l. c.*) cum monumento Ancyrano (*l. c.*) conferimus, apparet id anno tantum 749 u. c. = 5 factum fuisse. Ceterum fieri potest ut senatusconsultum anni 748 u. c. = 6 in annum insequentem latum fuerit.

curiæ possent interesse (1), neque in hoc quidem videtur aliquid novum posuisse, at potius obsoletum morem revocavisse (2). Quid vero profuisset imperatoris filiis idem singillatim decrevisse quod ceteris senatorio ortu adulescentulis sine ullo senatusconsulto ultro competeret? Debent igitur Caius et Lucius aliquid majus accepisse quam quod gregi dabatur. Quare opinatur Nipperdæus (3) jus sententiæ post quæstorios dicendæ eis fuisse tributum, adjunctis etiam omnibus senatoriis ornamentis. Neque illud quidem infitiari volumus potuisse, his temporibus, senatores superesse qui magistratum nullum gessissent, cum qui a triumviris atque etiam a Cæsare dictatore ita e promiscuo lecti essent non omnes forsitan fuissent ab Augusto ejecti (4). At mirum videretur in tam tenui ætate quidquam aliud præter honoris speciem fuisse collatum. Animadvertit quoque Mommsenus nihil de loco sententiæ decretum fuisse, quod quidem alias nunquam omitti soleat, neque præterea decuisse juvenes dignitate præstantissimos in tam humili loco rogari. Exemplum denique affert ejusdem generis, Drusi scilicet junioris, cui permissum fuit ut in senatum, priusquam senator esset, ventitaret « ἐς τὸ συνέδριον συμφοιτᾷν, πρὶν βουλεῦσαι (5), » ex quibus verbis « πρὶν βουλεῦσαι » satis apparet eum sententia nondum præditum fuisse, cum senator nondum esset (6). Quid quod nihil proficiebat, si Nipperdæo assentimur, de facultate inter senatores spectandi et epulandi quidquam addere, cum profecto ea facultas non posset post sententiam datam denegari? Itaque censemus illud Caio et Lucio proprium datum fuisse, primo ut senatoria ornamenta haberent, secundo ut inter senatores ipsos assiderent. Neque enim senatorum liberis senatoria ornamenta, præter latum clavum, ulla conferebantur, ita ut essent in senatorio ordine, non in senatu inscripti, neque in curia ipsa, inter senatores, consessum habebant, sed in limine, ut ex Plinio deprehendimus : « (Antiquitus) adulescentuli... honores petituri assistebant *curiæ foribus*, et consilii publici spectatores ante quam consortes erant (7). »

(1) Suet., *Aug.*, 38.
(2) Vid. Willems, *Sénat*, II, p. 163.
(3) P. 82.
(4) Vid. Willems, *Sénat*, I, p. 587-617. Cæsarem homines nullo magistratu functos legisse ex Seneca apparet (*Epist.*, XVI, III (98), 13, ed. Haase), neque dubium est quin triumviri idem fecerint.
(5) Cass. Dio, LVI, 17.
(6) *Staatsr.*, II, p. 903, n. 2.
(7) *Epist.*, VIII, 14. Vid. Willems, *Sénat*, II, p. 163.

Haud aliter apud Statium de principatus temporibus (1) :

> « .... Nos, pube sub ipsa,
> Si modo prona bonis invicti Cæsaris adsint
> Numina, Romulei *limen* pulsare senatus. »

De Druso, Tiberii filio, modo diximus. Is quoque, post quæsturam anno 11 gestam (2), sententiam ante prætorios accepit (3). Germanicus, anno p. Ch. n. 7, ætatis uno et vicesimo, quæsturam adeptus (4), anno 10, prætoria ornamenta accepit, utque primus post consulares sententiam diceret, et consulatum, citius quam leges sinerent, peteret (5).

Tiberius primus equestris ordinis hominibus prætoria ornamenta detulit, nobilissimis prorsus ejus ordinis hominibus, præfectis prætorii L. Ælio Sejano (6) et Naevio Sertorio Macroni (7). P. Graecinius Laco, præfectus vigilum, quæstoria tantum accepit (8). Consularia ornamenta non videntur eo tempore extra Cæsaream domum adhibita fuisse, cum Tiberius semel tantum ea detulisse dictus sit, Claudio scilicet, filio fratris ejus (9). Vulgandi magistratuum ornamenta initium Claudius fecit qui non modo consularia procuratoribus ducenariis indulsit (10), sed etiam prætoria libertinis projecit (11). Idemque fuit a Nerone factitatum (12). Neque immerito plane, cum parum consentaneum fuisset si homines potentia senatoribus multo præstantiores dignitate eis cessissent.

Verum præstat eos recensere qui nobis innotuerunt singulis ornamentorum generibus decorati.

Magistratuum trium ornamenta adhibita invenimus : quæstoria, prætoria, consularia.

Ornamenta quæstoria qui acceperint hos tantum novimus :

Tiberio principe :

(1) *Silv.*, IV, 8, 60.
(2) Cass. Dio, LVI, 25.
(3) *Ibid.*, 17.
(4) *Ibid.*, LV, 31. Eckhel, *D. N. V.*, VI, p. 208.
(5) *Ibid.*, LVI, 17. Vid. supra, p. 48, 49.
(6) Vid. p. 50.
(7) V. p. 46.
(8) Vid. *ibid.*
(9) Vid. p. 44, 45.
(10) Suet., *Claud.*, 24.
(11) Vide infra, p. 60, Pallantis exemplum.
(12) Vide infra, p. 63, Nymphidii Sabini exemplum.

P. Græcinium Laconem, præfectum vigilum, propterea quod ad Sejanum præcipitandum operam dedisset, anno 31 (1).

Claudio principe :

Narcissum, Augusti libertum ab epistulis (2), propterea quod Messalinam perdidisset, anno 48 (3).

Pallantem, Augusti libertum a rationibus (4).

Nerone principe :

Ostorium Sabinum, equitem romanum, Bareæ Sorani accusatorem, anno 66 (5).

Nulli præter illos, quod sciamus, memorantur, sive casu, sive quia ornamenta quæstoria nimis vilia posthac visa sint quam ut crebro decernerentur.

Ornamentis prætoriis donati plures innotuerunt.

Ex libertis :

Claudio principe :

Pallas, jam supra memoratus, cui, post ornamenta quæstoria, prætoria decreta sunt anno 52 (6).

Ex regibus sociis, et propinquis eorum :

Caligula principe :

Herodes Agrippa, rex Judæorum (7).

Claudio principe :

Herodes, frater Agrippæ, anno 41 (8).

Ex hominibus equestris ordinis :

Claudio principe :

C. Julius Aquila, ob victum Mithridatem Bosporanum, anno 49 (9).

Vespasiano principe :

Cornelius Fuscus, senatorio ortu, procurator Pannoniæ vel Dalmatiæ (10), deinde præfectus classis Ravennatis (11), Flavianarum partium impiger propugnator, anno 69 (12). Postea, præ-

(1) Vid. p. 46.
(2) Friedlænder, *Sittengesch.*, I, p. 162.
(3) Tacit., *Ann.*, XI, 38.
(4) Suet., *Claud.*, 28. Friedlænder, *o. c.*, I, p. 153.
(5) Tacit., *Ann.*, XVI, 33. Cf. 23, 30.
(6) Vid. p. 54.
(7) Phil., *in Flacc.*, 7.
(8) Cassius Dio, LX, 8.
(9) Vid. p. 45.
(10) Tacit., *Hist.*, II, 86; III, 4.
(11) *Ibid.*, III, 12, 42.
(12) *Ibid.*, IV, 4.

fectus prætorii et secundæ Domitiani adversus Dacos expeditioni præpositus, in qua victus est et periit (1).

Nerva principe :

Cn. Octavianus Titinius Capito, procurator ab epistulis (2).

Qui sequuntur prætoriis ornamentis donati sunt quo tempore præfecturam prætorii obtinebant.

Tiberio principe :

L. Ælius Sejanus, anno post Ch. n. 19 ? (3).

L. Nævius Sertorius Macro, ob datam ad præcipitandum Sejanum operam, anno 31 (4).

Claudio principe :

Rufrius Crispinus, propterea quod principis adversus Valerium Asiaticum inimicitiæ adjutor fuisset, anno 47 (5).

Vespasiano principe :

Arrius Varus, quem eodem anno 69 primipilum ac deinde præfectum prætorii invenimus (6), hoc eodem anno prætoriis ornamentis decoratus (7).

Ornamentis consularibus donatos hos collegimus :

Tiberio principe, uni tantum, ut videtur, et ei quidem ex domo Cæsaris, Ti. Claudio Cæsari tributa sunt (8). Claudio principe, procuratoribus ducenariis magna, ut ex Suetonio (9) deprehendimus, æqualium invidia, indulta sunt. Ex quibus duos novimus : Junium Cilonem, procuratorem Ponti, ob victum Mithridatem Bosporanum, anno 49 (10), et P. Græcinium Laconem qui, post ornamenta quæstoria anno 31 decreta, procurator Galliæ anno 44, ornamentis consularibus decoratus est (11). Non alia exempla sup-

(1) Vide de eo Hirschfeld, *Untersuch.*, I, p. 124, n. 1, et p. 223, nº 25. Ferrero, *L'ordinamento delle armate romane*, p. 133, nº 4. Addendus iis qui supra memorantur (p. 44-47), quo melius comprobatum sit dignitatem senatoriam non esse cum ornamentis magistratuum conjunctam.

(2) Vid. p. 46, n. 10.

(3) Vid. p. 50.

(4) Vid. p. 46.

(5) Vid. p. 45.

(6) Tacit., *Hist.*, III, 6, IV, 2.

(7) *Ibid.*, IV, 4. De eo vide Hirschfeld, *Untersuch.*, p. 222, nº 22. Pauly, *Encykl.*, I, p. 1759, nº 14. Cf. Nipperdey, Tacit., *Ann.*, XIII, 9, n. 8.

(8) Vid. p. 44, 45.

(9) *Claud.*, 24.

(10) Vid. p. 45. Procuratio Ponti tertio sæculo ducenaria erat (*C. I. G.*, 2509). Incertum quidem an jam ducenaria fuerit Claudio principe. Vid. Hirschfeld, *Untersuch.*, I, p. 258, n. 3.

(11) Vid. p. 46. Procuratio Galliæ, vel, ut melius dixerimus, provinciæ

petunt procuratorum qui consularia insignia acceperint. Habemus contra, posterioribus temporibus, homines equestris ordinis, quibus, cum ad honestissimas ejusdem ordinis dignitates promoti essent, prætoria tantum insignia concessa sunt (1). Non videntur igitur qui postea imperaverunt institutum a Claudio morem secuti esse.

Etiam socio regi consularia ornamenta Claudius detulit, Herodi scilicet Agrippæ (2), jam antea a Caligula prætoriis ornamentis decorato (3).

Legatos legionum qui consularia ornamenta acceperunt jam alias memoravimus (4) : Othone principe (5), ob Rhoxolanos devictos, anno 69, Fulvium Aurelium, legatum legionis III Gallicæ (6), Tettium Julianum, legatum legionis VII Claudiæ (7), Numisium Lupum, legatum legionis VIII Augustæ (8); Vespasiano principe, anno 69 vel 70, ob datam fortiter Flavianis partibus operam, Primum Antonium (9), qui, cum tempore Neronis falsi damnatus esset, « inter alia belli mala » senatorium ordinem reciperaverat, atque etiam fuerat legioni VII Geminæ a Galba præpositus (10). Erant hi, utpote legati legionum, prætura functi, quanquam accidere poterat ut senator, nondum prætorius, principis voluntate, legioni præficeretur (11). De quo exempla nihil attinet e longinquo deducere, cum præsto sit Tettius Julianus, quem, cum anno 69 scimus legationem legionis obtinuisse, comperimus anno insequenti, kalend. januar., præturam perdidisse (12), unde recte dicimus eum in annum 70, quo tempore legatus erat, prætorem designatum fuisse (13).

Lugdunensis et Aquitanicæ, erat honorificentissima. Vid. Hirschfeld, *Untersuch.*, p. 260, n. 6.

(1) Vide supra, p. 60, 61, Vespasiano principe, Cornelium Fuscum; Nerva principe, p. 61, Titinium Capitonem.

(2) Cass. Dio, LX, 8, anno 41.

(3) Vid. p. 60.

(4) Vid. p. 47.

(5) Tacit., *Hist.*, I, 79.

(6) Stille, *Historia legionum auxiliorumque inde ab excessu divi Augusti usque ad Vespasiani tempora.* Kiliæ, 1877, p. 157, n. 1.

(7) *Ibid.*, p. 68.

(8) *Ibid.*, p. 76.

(9) Tacit., *Hist.*, IV, 4.

(10) *Ibid.*, II, 86. Stille, *o. c.*, p. 71. Vide de eo Pauly, *Encykl.*, I, p. 1189, n° 77.

(11) Marquardt, *Staatsverw.*, II, p. 443.

(12) Tacit., *Hist.*, IV, 39.

(13) Prætura kalend. januar. suscipiebatur. Vid. Willems, *Droit public*, p. 248.

His addendi qui traduntur ob rem belli fortiter gestam ab Alexandro Severo consularibus ornamentis donati fuisse (1).

Eadem etiam adeptus est, anno 55, Asconius Labeo, Neronis tutor, de quo nihil ultra compertum (2).

Eadem denique, Domitiano principe, M. Fabius Quintilianus, rhetor (3).

At in nullos frequentius adhibita sunt quam in præfectos prætorii, quos ideo seponimus. Initio quidem ornamentis prætoriis donabantur, ut ex exemplis modo allatis apparet. Postea vero eminentissimæ equestris ordinis dignitati consularia tantum ornamenta satis splendida visa sunt.

Jam Rufrius Crispinus, qui anno 47, cum præfectus prætorii esset, ornamentis prætoriis a Claudio donatus erat, dicitur alias consularibus ornamentis donatus fuisse, sive hoc loco Tacitus pro prætoriis consularia per indiligentiam dixerit, sive consularia ornamenta Crispinus vere acceperit post prætoria (4). Quod si accepit, potest tantum cum præfecturam prætorii obtineret accepisse. Anno enim 51 præfectura prætorii a Claudio solvitur (5), neque videtur posthac in gratiam apud Neronem rediisse, quippe qui anno 65 in exsilium actus sit, occasione Pisonianæ conjurationis, sed invisus quod Poppæam quondam matrimonio tenuisset (6), annoque post inexpiabili odio oppressus, accepto jussæ mortis nuntio, semet interfecerit (7).

Nerone principe, Nymphidius Sabinus, matre libertina ortus, « ipse pars romanarum cladium, » præfectus prætorii, anno 65, ornamenta consularia accepit (8).

Nondum tamen usus invaluerat præfectis prætorii nonnisi consularia ornamenta conferendi. Vespasiano enim principe, deprehendimus Arrium Varum prætoria tantum accepisse (9).

At postea nonnisi consularia memorantur. Adnotat Hirschfeldius quod in vita Antonini Pii legimus : « Præfectos suos et locupletavit, et ornamentis consularibus donavit (10), » unde opinionem

(1) Lamprid., *Alexand. Sever.*, 58.

(2) Tacit., *Ann.*, XIII, 10.

(3) Auson., *Gratiar. act.*, p. 209. Bip. Male hic dicitur ornamenta *sortitus* fuisse. Cf. Juvenal, VII, 192, 197.

(4) Vid. p. 45.

(5) Tacit., *Ann.*, XII, 42.

(6) *Ibid.*, XV, 71.

(7) *Ibid.*, XVI, 17.

(8) Vid. p. 46.

(9) *Ibid.*

(10) 10.

deducit ne his quidem temporibus tales honores præfectis prætorii jure quodam competivisse (1), verum illud certe satis credibile est, si ornamenta magistratus alicujus eminentissimis viris tributa essent, ea non potuisse consularibus esse minora. Ceterum si Capitolini verba attente perpenderimus, non videbitur aliquid præter morem commemorasse, nisi fortasse illud dignum dictu crediderit, nullas unquam inter optimum principem præfectosque ejus simultates intercessisse.

Ex M. Antonini Pii præfectis, unus est quem ex titulo consularibus ornamentis donatum fuisse comperimus, M. Gavius Maximus (2).

Postea invenimus :

M. Bassæum Rufum, M. Aurelii præfectum (3).

C. Fulvium Plautianum, Septimii Severi præfectum (4).

M. Opellium Macrinum, Caracallæ præfectum (5).

P. Valerium Comazonem Eutychianum, præfectum Elagabali (6).

C. Fulvius Plautianus consul factus nihilominus præfectus prætorii mansit, cujus rei antea unicum exemplum Sejanus præbuerat (7). Comperimus quidem, Vespasiano principe, M. Arrecinum Clementem « quanquam senatorii ordinis » prætorianis præpositum (8), secundo anno post, anno scilicet 70, consulem factum fuisse (9), incertum vero an eodem tempore præfecturam

(1) *Untersuch.*, I, p. 272, n. 2.

(2) Vid. p. 53, n. 3. Vid. Hirschfeld, *Untersuch.*, p. 225, nº 37. Sievers, *Studien zur Geschichte der Römischen Kaiser*, p. 192, n. 30. De Attiano, Hadriani præfecto, vide infra.

(3) Vid. p. 53, n. 4. Vid. Wilmanns, 638 ; Hirschfeld, *Untersuch.*, I, p. 226, nº 41, qui singula sive titulorum sive historiarum testimonia collegerunt, ne omissis quidem recentiorum commentationibus.

(4) Cass. Dio, XLVI, 46. Herodian., III, 1. Vide de eo Hirschfeld, *Untersuch.*, I, p. 230, nº 58. Vid. p. 51.

(5) Vid. p. 51. Latet cur Eckhelius censuerit consularia ornamenta ei tantum decreta fuisse cum imperium adeptus esset (*D. N. V.*, VIII, p. 428). Nihil tale ex Dionis verbis sequitur (LXXVIII, 13), neque præterea imperator consularibus ornamentis indigebat.

(6) Cass. Dio, LXXIX, 4. Vide de eo Hirschfeld, *Untersuch.*, I, p. 233, nº 68.

(7) Vid. p. 50.

(8) Tacit., *Hist.*, IV, 68. Hirschfeld, *Untersuch.*, I, p. 222, n. 23.

(9) Klein, *Fasti consulares.* — De T. Flavio Vespasiani filio qui patris præfectus fuit, cum sexties consul esset (Plin., *H. N.*, Præfat. Suet., *Titus*, 6) nihil dicimus. Erat enim illud extra normam plane et propter necessitatem temporum factum. Vid. Mommsen, *Staatsr.*, II, p. 1060.

adhuc obtineret, neque quidquam certius asseverare ausim de P. Valerio Comazone, qui bis consulatum adeptus est (1). Illud modo notabimus quod in vita Alexandri Severi invenimus : « Præfectis prætorii suis senatoriam addidit dignitatem, ut viri clarissimi et essent et dicerentur, quod antea vel raro fuerat, vel non diu, vel omnino non fuerat, eo usque ut si quis imperatorum successorem præfecto prætorii dare vellet, laticlaviam ei per libertum summitteret, ut in multorum vita Marius Maximus dixit (2). » Laticlavia tunica vel potius prætexta, quam Lampridius parum apte dixit, intelligi oportet, non senatoria quidem neque etiam consularia ornamenta, verum adlectionem in senatum et eandem inter consulares. Exemplum habemus Tarrunteni vel Tarrutenii Paterni, qui cum sub M. Aurelio et sub Commodo præfecturam prætorii obtinuisset, traditur, in vita Commodi (3), per lati clavi honorem præfecturæ administratione summotus fuisse. Eundem ex Cassio Dione comperimus relatum fuisse inter consulares (4). Haud scio an ita quoque intelligendum sit quod in vita Hadriani de Attiano legimus : « Senatus fastigium in tantum extulit difficile faciens senatores ut, cum Attianum, ex præfecto prætorii ornamentis consularibus præditum, faceret senatorem, nihil se amplius habere quod in eum conferri posset ostenderit (5) » De eodem paulo infra additur : « Cum Attiani, præfecti sui, et quondam tutoris, potentiam ferre non posset, nisus est eum obtruncare, sed revocatus est quia jam quattuor consularium occisorum, quorum quidem necem in Attiani consilia refundebat, premebatur invidia. Cui cum successorem dare non posset, quia non petebat, id egit ut peteret, atque ubi primum petiit, in Turbonem transtulit potestatem » (6). Quo loco rem supra memoratam et confusione prava obscuriorem factam Spartianus videtur retractasse, ut iis quæ ante dicta sunt quasi complementum attulerit. Consularia enim ornamenta post præfecturam depositam collata fuisse ex his verbis « ex præfecto prætorii... præditum » satis elucet, cumque Attianus, simul senator factus, inter consulares consessum haberet, nihil deerat ut adlectus inter consulares jure diceretur, si modo ad consularia munera accedere

(1) Vide p. 52.
(2) Lamprid., *Alexand. Sever.*, 21.
(3) 4.
(4) LXXII, 5. Appendix, n° 47.
(5) 8.
(6) 9. Appendix, n° 30.

posset. Adlectum autem eum inter consulares fuisse Spartianumque minus diligenter locutum, primo ex similitudine Tarrutenii Paterni patet, secundo, ex hoc quod Hadrianus dixisse fertur. « Nihil se amplius habere quod in eum conferri posset. » Majus enim erat inter consulares adlegi quam consularibus ornamentis donari. Ea sunt quæ ex verborum subtiliori æstimatione percipimus. Utcumque vero judicatum sit, illud libet, finem faciendo, concedere, parvi quidem interfuisse utrum præfectus prætorii, de tanto potentiæ fastigio dejectus, consularibus ornamentis cum consulari sententia donatus esset, an adlectus inter consulares. Satis enim erat dignitati ejus inter consulares in senatu locum obtinere; consularia autem munera nihil habebat cur appeteret, cum ea longe infra amplissimum munus sita essent de quo se abdicare per alienam principis voluntatem fuisset coactus.

Post Alexandri Severi principatum, præfectum qui consularibus ornamentis donatus sit, sive casu, sive ob causam nescio quam, nullum invenimus. Erunt forsitan qui eam causam excogitent, nihil profuisse consularia ornamenta adjungi, senatoria dignitate præfectis a Severo addita, at constat institutum illud a principe senatus reverentissimo ab iis qui postea secuti sunt ita non observatum fuisse ut præfectos, nunc ex equestri ordine, nunc ex senatorio sumpserint (1). Qui autem ex senatorio ordine sumpti erant videntur aliquando locum consulari minorem obtinuisse (2). Quid quod præfectis ex equestri ordine consularia ornamenta poterant, ut ante, aliquid dignitatis incrementum afferre?

(1) Vid. Hirschfeld, *Untersuch.*, I, p. 235, etc.

(2) Ita M. Ædinius Julianus qui, post legationem provinciæ Lugdunensis, præfectus prætorii factus est. Vid. Hirschfeld, *ibid.*, p. 236, nº 74. Legatio ea erat prætoria (Marquardt, *Staatsverw.*, I, p. 335), neque indicium ullum habemus Julianum unquam consulem factum fuissse. Sunt et alii quorum curriculum omnino ignoratur. Hirschfeld, p. 236-239.

CAPUT QUINTUM.

DE TRIBUNICIIS ÆDILICIISQUE ORNAMENTIS QUARE NUSQUAM REPERIANTUR. — DE CONSULARIBUS ORNAMENTIS AN TRIUMPHALIBUS SUBSTITUTA SINT.

Quærendum nunc cur tantum hæc tria ornamentorum genera adhibita inveniamus. Primo quidem, satis constat censoria ornamenta ob eam causam nemini unquam vivo decreta fuisse quia, quo tempore ejusmodi honores instituerentur, censura cœpisset nonnisi ab imperatoribus suscipi, ut ipse censoriorum ordo, jam antea cum consulari ordine permixtus (1), abolitus plane fuerit. Quod si in municipiis ornamenta censoria (2), vel ornamenta et honor quinquennalitatis (3) reperiuntur, nemo illud mirabitur, cum in municipiis, post liberam rem publicam, censores sive quinquennales perstiterint, et quinquennalicii ordinem etiam duumviraliciorum ordine splendidiorem constituerent (4). Arbitratur Mommsenus (5), abolito censoriorum ordine, absurdum fuisse ejusdem ornamenta alicui vivo decerni, minus absurdum mortuo. At illud, ut est per se ipsum intellectu difficile, ita ex rebus ipsis non adeo manifestum fit, siquidem censuræ insignia in funere usurpata fuisse uno tantum exemplo docemur, et eodem Augusti temporibus, neque præterea funus quod postea dicebatur censorium a funere publico dissimile esse vel judicavimus, vel certe non temere conjecimus (6).

De tribuniciis ædiliciisque ornamentis quare nusquam succur-

(1) Willems, *Sénat,* I, p. 257.
(2) *I. R. N.*, 25.
(3) *C. I. L.*, VIII, 7986, 7094-7098.
(4) Momms., *Staatsr.*, I, p. 448, n. 5.
(5) *Ibid.*
(6) Vide caput secundum hujusce partis.

rant (1), eam quoque causam Mommsenus prætendit, illorum tantum magistratuum ornamenta decerni solita, per quos unusquisque honorum appetens deberet gradatim evehi, tribunatum autem ædilitatemque, quo tempore ornamenta conferendi ratio exstiterit, extra certum magistratuum ordinem mansisse (2). At neminem fugit, post ea quæ supra exposita sunt, honores de quibus agimus, non ante principatus ætatem certa ratione definitos esse; neque illud magis latet Augustum decrevisse ut quæstorii qui præturam peterent, essent omnes, patriciis hominibus exceptis, sive tribunatu plebis, sive alterutra ædilitate antea functi (3), unde ordo constitutus sit, inter quæstorios et prætorios medius, ex tribuniciis et ædiliciis collectus. Quid quod adlectio inter tribunicios frequentissime a principibus decernebatur, sicut postea plurimis exemplis apparebit (4)? Neque illud valebit ab eodem propositum (5), tribunatui aut ædilitati non propria ornamenta fuisse quæ, honoris causa, darentur. Jam enim exploratum habemus ædilitati curuli haud secus ac præturæ et consulatui prætextam cum calceis patriciis datam fuisse, et quod ad tribunos plebis ædilesque plebeios attinet, ii certe, ut ceteri senatores, tunicam lato clavo distinctam cum calceis senatoriis induebant (6). Ceterum, alias demonstravimus, decretis alicujus magistratus ornamentis, non insignia modo vestitus, sed etiam inter senatores ejusdem ordinis festis epulisque publicis locum decerni (7), idque eo magis inter præcipua ornamentorum commoda annumerari debebat, quod nescimus omnino quibus vestitus insignibus prætorii a consularibus distinguerentur, neque videntur ullo modo distincti fuisse. Itaque parvi refert utrum tribuniciis et ædiliciis propria insignia fuerint necne, satisque est si proprium ordinem constituerint ut ornamenta tribunicia et ædilicia potuerint conferri. Cadit igitur utraque Mommseni explicatio, nosque potius arbitramur ædilicia et tribunicia ornamenta, haud aliter ac quæstoria, mox viliora facta cœpisse obsolescere, ut nullum eorum exemplum ad nos pervenerit.

(1) Quæ in Tarraconensi titulo (*C. I. L.*, II, 4268) ornamenta ædilicia P. Fabio Lepido, post mortem ejus, decreta memorantur, ad municipales dignitates sunt referenda. De Capitolini in vita M. Antonini philosophi loco, c. 10, vide appendicem, n° 39.

(2) *Staatsr.*, I, p. 448, n. 4.

(3) *Ibid.*, p. 536.

(4) Vide partem tertiam.

(5) *Ibid.*, p. 448, n. 4.

(6) Vide hujusce partis caput primum.

(7) Vide hujusce partis caput tertium.

De ornamentis consularibus quæstio agitata est an, quo tempore triumphalia ornamenta conferri desierint, consularia in eorum locum cœpissent succedere (1). Quæ opinio vel potius conjectura argumentum duplex producit. Notum est enim morem triumphalia ornamenta conferendi non ultra Trajani ætatem perstitisse (2), videturque ea ferme ætate triumphalis habitus a consulibus fuisse usurpatus. Succurrit præterea locus vitæ Alexandri Severi ubi is traditur ob res belli bene gestas consularia ornamenta decrevisse (3). Ex quo potuit conjectari institutum fuisse ut pro triumphalibus ornamentis consularia adhiberentur, cum facta essent simillima. In hoc vero omnis ea argumentatio claudicat, quod nescimus quo præcipue tempore consules cœperint triumphalem habitum pro consulari, id est togam pictam et tunicam palmatam pro prætexta induere. Immo, demonstravit Göllius, in commentatione quæ inscribitur *de processu consulari* (4), nihil certum de mutato consulari habitu ante Elagabali principatum afferri. Quæ enim antea de triumphali consulis habitu traduntur sunt potius ad pompam circensem referenda, in qua, sicut alias diximus, consules prætoresque ad deducendas tensas triumphantium ritu vehebantur (5). Cum igitur centum fere annorum spatium inter abolita triumphalia ornamenta primamque de mutato consulari habitu mentionem factam interpositum esse videatur, nihil est cur censeamus alterum alteri substitutum fuisse. Ceterum adeo involuta sunt quæcumque sive ad triumphalia ornamenta, sive ad consularem habitum pertinent ut vix quidquam affirmare liceat. Libera re publica, qui triumphaverant ex singulis triumphi ornamentis lauream tantum coronam retinebant, quam nonnisi ludis festisque publicis gerebant. Habes quidem nonnullos quibus indultum fuit ut triumphali veste inter sollemnia eadem uterentur, verum illud extra normam factum erat. Ceteri prætexta utebantur, togamque pictam post mortem modo in funeribus resumebant (6). Triumphalia ornamenta ab Augusto instituta fuere (7), at, cum prope exploratum sit lauream coronam, præter triumphalem vestem, nonnisi imperatori-

(1) Borghesi, *Op*. V. p. 38.

(2) Marquardt, *Staatsverw*., II, p. 573.

(3) 58.

(4) Hermann Göll, *Ueber den Processus consularis der Kaizerzeit*. Philologus, 1859, p. 591-593.

(5) Vide caput primum hujusce partis.

(6) Momms., *Staatsr*., I, p. 422-424. Cf. caput secundum hujusce partis.

(7) *Ibid*., p. 449.

bus contigisse (1), parum liquet quibus insignibus triumphales viri principatus ætate distinguerentur. Obscurum enim quod apud Cassium Dionem legimus, Augustum decrevisse : « .... τάς τε γνώμας τὰς περὶ τῶν νικητηρίων ἐκεῖ (in templo Martis Ultoris) τὴν βουλὴν ποιεῖσθαι, καὶ τοὺς πέμψαντας αὐτὰ τῷ Ἄρει τούτῳ καὶ τὸ σκῆπτρον καὶ τὸν στέφανον ἀνατιθέναι · καὶ ἐκείνους τε καὶ τοὺς ἄλλους τοὺς τὰς ἐπινικίους τιμὰς λαμβάνοντας ἐν τῇ ἀγορᾷ χαλκοῦς ἵστασθαι (2), » ubi ambigitur utrum sceptrum et corona, aurata videlicet (3), iis modo qui triumphalem pompam duxissent, an iis quoque qui ornamenta triumphalia accepissent competerent. Nobis quidem in posteriorem potius sententiam inclinat animus, cum ratum sit in titulis nonnunquam statuam et ornamenta triumphalia disjungi (4), et ipse Tacitus de Agricolæ honoribus his verbis tradiderit : « triumphalia ornamenta, et illustris statuæ honorem, et quidquid pro triumpho datur... decerni in senatu Domitianus jubet (5), » unde opinio subit triumphalibus ornamentis, præter statuæ honorem, etiam aliud quidquam contineri. Hoc præterea notandum est in titulis post Trajani ætatem, cum jam inusitata essent triumphalia ornamenta, statuæ honorem etiam nunc memorari (6). Itaque suspicamur sceptrum quoque et coronam et fortasse togam pictam tunicamque palmatam, omnia denique triumphatorum insignia, hominibus qui triumphalibus ornamentis decorati essent, contigisse, ea tantum lege ut insignia maximi honoris Marti voverent et in ejus templo statim deponerent, nedum, vel una die, gererent. Quod vero ad consularem habitum spectat, illud modo compertum est inde ab Elagabali ætate triumphalem vestem, die votorum nuncupationis et die processus, a consulibus fuisse indutam, at multo serius videntur eam solito gessisse (7). At repugnat consulares viros vel consularibus ornamentis donatos insignia habuisse quibus consules ipsi raro admodum decorari solerent. Cum igitur minime constet, secundo vel tertio etiam

(1) Momms., *Staatsr.*, I, p. 401, 412.

(2) LV, 10. Cf. Suet., *Aug.*, 31. Vid. *C. I. L.*, I, p. 281.

(3) Momms., *ibid.*, p. 412.

(4) Orell., 3187 « ... *Imp(eratore) Cæs(are) Nerva Trajano Aug(usto) Germ(anico) Dacic(o) senatus ornament[a] triumphal(ia) decr(evit), statuamq(ue) in foro Aug(usti) ponendam censuit.* » Vide de hoc titulo Henzen, p. 292. Cf. 5448 : « ... *Huic senatus auctore Imp(eratore) Trajano Aug(usto) Germanico Dacico triumphalia ornament(a) decrevit, statuam(que) pecun(ia) public(a) ponend(am) censuit.* » Etc., etc.

(5) *Agric.*, 40.

(6) Borghesi, *Op.*, V, p. 35-37.

(7) Göll., *l. c.*

sæculo, sive consularibus, sive triumphalibus viris togam pictam tunicamque palmatam contigisse, temere judicare videntur qui putant, eadem ætate, triumphalia ornamenta ideo obsolevisse, quia, triumphali veste a consularibus assumpta, pro triumphalibus ornamentis consularia posthac, mutato nomine, usurpari cœpissent.

De senatoriis ornamentis quare vel nusquam memorentur, vel alio nomine designata sint, dicere hic supersedemus, opportuniorem locum in tertia commentationis nostræ parte nacturi.

PARS TERTIA

De decreta adlectione in ordines functorum magistratuum.

CAPUT PRIMUM.

DE TITULORUM FORMULA. — DE CONDICIONE ADLECTORUM ET DE MODO ADLEGENDI.

Ad adlectionem in ordines functorum magistratuum nunc tandem pervenimus. Cujus vocabuli significatio satis manifesta per se apparet. Adlecti generaliter dicebantur quicumque in ordinem aliquem, supplementi causa, extra morem erant admissi (1). Cum autem senatorum numerus lege certus esset, neque ulla via nisi per magistratus gestos ad senatum pateret, qui extra numerum nulloque gesto magistratu admissi erant, dicebantur adlecti. Contra, cum nulla lege consularium, vel prætoriorum, vel quæstoriorum numerus esset in ipso senatu definitus, qui, cum neque consulatum, neque præturam, neque quæsturam gessissent, tamen ac si gessissent habebantur, dicebantur inter consulares, prætorios, quæstorios, non adlecti quidem, verum relati. Itaque, si rectam loquendi formulam adhibere voluerimus, eundem dixerimus in senatum adlectum, et in ordinem aliquem functorum magistratuum relatum. Quæ formula vetustioribus temporibus præcipue occurrit. Argumento sit laudatus nobis jam antea monumenti Ancyrani locus « [Ἐφ']οἶς ἡ σύνκλητος ἐπαινέσασά [με ψηφίσμασι] προσκατέλεξε τῇ βουλῇ...... ἐν τῇ τάξει τῶν ὑπατ[ικῶν ἐμοὶ τ]ὸ σ[υμβου]λεύειν δοῦσα. » Latine : « [*Propter quæ sen*]*atus decretis honori*[*fi*]*cis in ordinem suum* [*me adlegit...... c*]*on*[*sula*]*rem locum mihi*

(1) Willems, *Sénat*, I, p. 242.

tribuens] (1). » Argumento quoque Ma...us (?) a Claudio principe « *ad*]*lectus in senatum et inter tribuni*[*cio*]*s relatus* (2). » Item M. Calvius Priscus, ab eodem « *adlectus in ord*[*ine*) *senatorio..., inter tribunicios* [*relatus*] (?) (3). » Item Cn. Domitius Tullus « *qui cum esset* [*in Germania*] *candidatus Cæsar*(*is*) *pr*(*ætor*) *desig*(*natus*), *missus est ab Imp*(*eratore*) *Vespasiano Aug*(*usto*) *legatus pro prætore ad exercitum qui est in Africa et apsens inter prætorios relatus* (4). » Verum is erat, non admissus quidem singulari aliquo principis beneficio inter prætorios, cum nullo jure talem sibi dignitatem vindicare posset, at, cum prætor designatus esset, et a prætura gerenda ob publicas necessitates a principe ipso remotus, in debitum locum restitutus, ne maximis quæ præturam consequebantur emolumentis immerito destitutus maneret. Ceterum, jam his temporibus in usum venerat, brevitatis causa, duplicem formulam in unum contrahere, adlectionemque in ordines functorum magistratuum simpliciter memorare. Qui usus, postea unice præpotens, antea etiam invalescere cœperat, siquidem L. Licinium quemdam habemus « *adlec*[*tum a divo*] *Claudio inte*[*r quæstorios...* (5). » Illud tamen notari oportet hunc inter quæstorios simul et inter senatores admissum fuisse, neminem vero ante Vespasiani tempora inveniri qui jam senator, in majorem quam quem obtinebat ordinem promotus, in eundem adlectus dicatur. Neque adeo constat id casu factum esse, talemque dicendi rationem fuisse jam inde usurpatam (6).

Sunt aliquot tituli, perpauci quidem, ubi adlectionis mentio prætermittitur, ut debeamus eam conjectura assequi.

Comperimus ex titulis C. Antii A. Julii A. f. Quadrati, origine Pergamei (7), eum primo legatum fuisse pro prætore provinciæ Ponti et Bithyniæ, deinde legatum pro prætore provinciæ Asiæ II, quas legationes prætorius suscepit. Etenim, legatio Asiæ erat prætoria vel consularis, at potius prætoria (8), Qua-

(1) Col. I.

(2) Appendix, n° 3.

(3) Appendix, n° 4.

(4) Wilmans, 1149. Stobbe, *Die candidati Cæsaris*. Philologus, 1869, p. 656, etc.

(5) Appendix, n° 5.

(6) Willems, *Sénat*, I, p. 630, 631. Hanc quoque formulam in titulo Antonii Vestini invenimus : « *allect*(*us*) *in amplissim*(*um*) *ordin*(*em*) *senat*[*us inter quæstorios.* » Appendix, n° 71.

(7) Appendix, n° 15.

(8) Waddington, *Fastes des provinces asiatiques. Des gouverneurs des provinces et des règles de l'avancement*, p. 15.

dratusque eam gessit antequam consul factus (1). De legatione Ponti et Bithyniæ latet quidem utrum tribunicia sæpius an prætoria fuerit, at Quadrato prætorio data est. Non traditur enim inter eam legationem legationemque Asiæ præturam adeptus fuisse. Cum autem nullus ejus honos ante legationem Ponti et Bithyniæ gestus memoretur, essetque præterea provinciali ortu, non dubium est quin inter prætorios ante adlectus fuerit. Idque eo magis pro certo tenemus quod, computatis temporibus, adlectio ejus videtur ad Vespasiani et Titi censuram esse referenda. Nempe consul fuit anno post Ch. n. 93, et ante consulatum legationes gessit quattuor, quarum duas in provinciis principis, per tres, vel quattuor, vel quinque annos continuatas (2). Adde unum proconsulatum, annosque inter quæque munera interpositos, neque multum aberis quin judices ejus honores ab anno circiter 73, quo tempore Vespasianus et Titus censores fuerunt, initium cepisse. Multos autem ex provinciis in senatum tunc adlectos fuisse infra ostendimus.

Ti. Julius (?) Severus, cum in titulis Ancyranis duobus (3) dicatur inter tribunicios a divo Hadriano adlectus fuisse, postea legatus provinciæ Asiæ, legatus legionis, etc. factus, debet necessario ante legationes adlectus fuisse inter prætorios, vel præturam gessisse, de quo negligentia quadam siletur (4).

M. Macrinius Avitus M. f. Catonius Vindex, post militias equestres et procurationem Daciæ Malvensis, traditur fuisse curator civitatis Ariminensis, legatus Augusti pro prætore provinciæ Mœsiæ inferioris, consul (5). Utraque provincia Mœsia consularis erat (6). Utramque igitur post consulatum obtinuit. Non potuit autem consul ex procuratore fieri (7). Necesse est igitur inter prætorios antea adlectus fuerit, quo præsertim tempore, utrum post curationem civitatis an ante, nihil asseverare ausim,

(1) Waddington, *Fastes des provinces asiatiques*, n° 114.

(2) Cass. Dio, LII, 23.

(3) *C. I. G.*, 4033, 4034.

(4) Appendix, n° 28.

(5) Appendix, n° 41.

(6) Marquardt, *Staatsverw.*, I, p. 335.

(7) Sejanus quidem fuit ex præfecto prætorii consul a Tiberio factus (vide p. 50) sed, et præfectura prætorii procuratione multo splendidior erat, et ipse Sejanus in tantum gratiæ ac potentiæ fastigium evectus, ut minime mirum esset leges in eo negligi. Ceterum infra demonstrabimus jus in magistratuum ordines adlegendi imperatoribus, nisi censuram suscepissent, ante Domitianum denegatum fuisse, ita ut nulla legitima via Tiberio patuerit qua Sejanum ad consulatum promoveret.

siquidem curatores civitatum, nunc e senatu, nunc ex equestri ordine sumebantur (1). Tamen, cum inde a M. Aurelio solerent potius inter senatores legi ac plerumque inter prætorios (2), nosterque hic titulus nequeat esse eo principe recentior (3), verisimile est Aviti adlectionem ante curationem civitatis decretam fuisse.

De Sex. Vario Marcello in appendice disserimus (4).

De ornamentis prius quæstionem simplicem persecuti sumus. Cum enim essent ad ostentationem modo composita, nihilque ultra quamdam honoris speciem inde proveniret, satis erat de condicione eorum dixisse qui ornamentis decorati fuissent. De adlectis in ordines functorum magistratuum, cum non honoris speciem modo, sed honorem ipsum consequerentur, ita ut ad rem publicam variis modis accederent, multo latius quæstio patet, in duas partes divisa, priorem, quæ fuerit adlectorum condicio, alteram, quid illud ad rem publicam universam contulerit.

De adlectorum condicione satis ample et luculente ab aliis explicatum est ut pauca sint quæ addiderimus. Atque ex ipsa vocabuli definitione sequitur adlectos in ordinem aliquem functorum magistratuum pari jure cum iis qui magistratum eundem vere obtinuissent habitos fuisse. Qui autem magistratum aliquem obtinuerant, retinebant in reliquum vitæ ornamenta de quibus diximus, senatoriam dignitatem, facultatem munera quædam capessendi, et majorem magistratum legitimo tempore petendi.

(1) Henzen, *Sui curatori delle citta antiche. Annali dell' Instit. di Corrisp. archeol.*, 1851, p. 21.

(2) Capitol., *M. Ant. Philos.*, 11; Henzen, *ibid.*, p. 22.

(3) Vide appendicem.

(4) N° 52. — Notandus hic titulus Hispanus ita inscriptus « *M(arcus) Accenna M(arci) f(ilius G(aleria) Helvius Agrippa*, *prætorius*, *trib(unus) pleb(is)*, *leg(atus) provinciæ Africæ diocesis Carthaginiensium, item quæstori* (sic) *provinciæ Africæ, IIIviro capitali*, etc. » *C. I. L.*, II, 1262. *Prætorii* dignitatem Mommsenus (*Staatsr.*, II, p. 902, n. 3), explicat tanquam inter prætorios Accenna adlectus fuerit. Accedit quidem titulus infra datus, n° 1270 « *Consio Quarto..... | prætorio..... | quæstorio..... |* » Verum apparet in priori titulo quadratarium ita erravisse ut dativum deinceps pro nominativo posuerit, unde videtur in hoc quoque errare potuisse « *prætorius* » pro « *prætori* » ponendo, cum præsertim nusquam alias in sermone epigraphico talis adlectionis significandæ ratio adhibeatur. Atque eandem explicationem Hübnerus proposuit, ab ipso Mommseno, ut ait, excogitatam (?). Quod ad titulum n° 1270 attinet, haud scio an intervalla ita supplenda sint ut « [*adlecto inter*]*quæstorio*[*s, adlecto inter*]*prætorio*[*s*... » legatur.

Quæ cuncta adlectis quoque competebant. Ornamenta enim erant cum senatoria dignitate necessario conjuncta, adlectosque senatoriam dignitatem habuisse, cum ex tota commentatione nostra, tum ex hoc Capitolini in Pertinacis vita loco constat, ubi aperte agitur de jure adlectorum in senatu sententiæ dicendæ : « Et cum Commodus adlectionibus innumeris prætorios miscuisset, senatusconsultum Pertinax fecit, jussitque eos qui præturas non gessissent, sed adlectione accepissent, post eos esse qui vere prætores fuissent. Sed hinc quoque grande odium sibi multorum commovit (1). » Inde opinari licet adlectos in ordinem aliquem functorum magistratuum initio cum senatoribus ejusdem ordinis sententiam promiscue dixisse, ita sane ut alter alteri præesset, prout magistratum prior, sive revera, sive adlectione, accepisset. Contra censet Mommsenus (2) moris fuisse simul cum adlectione decernere quos collegas qui adlectus fuerat haberet, id est quo anno magistratum deposuisse putaretur, simulque quo loco sederet. Verum nescimus nos quid sibi velit Octaviani exemplum quod pro argumento attulit. Qui si dictus est ita habendus « ut si anno superiore quæstor fuisset (3), » id non ad sententiam aliquo loco dicendam, verum ad magistratus petendos pertinebat. Immo, magis crediderimus extra morem fuisse de hoc aliquid præscribi, adlectosque, exempli gratia, in prætoriorum ordinem, inter eos qui præturam eodem anno deposuissent debuisse annumerari. Morem illum Pertinax abrogavit, jussitque adlectos in ordines magistratuum post senatores ejusdem ordinis sententiam dicere, sane prout quisque prior fuisset adlectus. De loco quem adlecti in albo senatorio obtinerent idem erat institutum, siquidem senatores in albo pro dignitate cujusque singuli recensebantur. Habemus scilicet tabulam dictam Canusinam (4), ubi nomina decurionum incisa leguntur. Apparent in ea tabula adlecti inter quinquennalicios numero quattuor medii post quinquennalicios et ante duumviralicios inscripti, cumque municipiorum senatus ad exemplar senatus urbani essent conformati, minime dubium est quin idem in Urbe de adlectis valuerit. Est autem illud Canusinum album anni 223, trigesimi scilicet anni post Pertinacis principatum (193). Quare judicamus adlectorum nomina in hoc loco ex Pertinacis sena-

(1) 6. De adlectis in quemcumque ordinem idem decretum fuisse merito censemus.
(2) *Staatsr.*, II, p. 900, n. 3.
(3) Vide p. 16.
(4) *I. R. N.*, 635.

tusconsulto esse inscripta quæ olim cum ceteris promiscue darentur.

Nihilo hactenus adlecti iis, qui, præter ornamenta magistratus alicujus, jus sententiæ cum eodem magistratu conjunctum acceperant, præstabant. Illud vero adlectionis proprium et insigne erat, homines qui, exempli gratia, inter prætorios adlecti fuissent, potuisse inde consulatum adipisci, cum contra qui ornamentis prætoriis, vel etiam sententia prætoria donati essent, nihilominus deberent ante consulatum prætura vere functi fuisse. Rem tot exemplis illustrem amplius explicare nihil proficit, cum præsertim alia sint minus trita exploranda. Pro certo quidem tenemus eum qui adlectus esset ita in petendis magistratibus haberi ut si, inde ab adlectionis tempore, e magistratu excessisset, in hoc tantum ambigentes an leges annariæ ad adlectionem quoque pertinuerint, id est, an licuerit quemquam extra legitimum tempus adlegi. Neque infitiamur, ut in magistratuum petitione, ita sane in adlectione licuisse tempus maturari, sive jure liberorum (1), sive beneficio principis, quod quidem non modo in Cæsareæ domus adulescentulos, verum etiam in privatos conferri solebat (2). Illud vero latet, quod scire avemus, an in adlegendo principes magistratum sæpius, priusquam deberetur, contulerint, eo scilicet consilio ut homines, quorum industriam in senatu aut in municipiis experti essent, ad maxima munera celerius promoverent, vel etiam ut ipsi in gratificando liberius versarentur. Desunt enim tituli ex quibus cognosci possit quo ætatis suæ anno is adlectus fuerit qui memoratur tali honore decoratus fuisse. Atque unum quidem habemus, Classetii cujusdam (3), ubi quo anno is natus sit, quo mortuus singulari diligentia traditur, at nomen principis a quo adlectus fuit infelici fato excidit. De titulo C. Salvii Liberalis (4) ita ratiocinatus est Borghesius (5). Dicitur C. Salvius Liberalis Nonius Bassus, cum nullum antea magistratum, sive revera, sive adlectione gessisset, adlectus fuisse a divo Vespasiano et divo Tito inter tribunicios, ab iisdem inter prætorios. Constat autem binas ejus adlectiones brevi temporis spatio fuisse iteratas, cum tunc nonnisi intra censuram a Vespasiano adlegeretur, censuramque is cum Tito collega per octodecim menses ha-

(1) Momms., *Staatsr.*, I, p. 517.
(2) Willmans, 1166. Plin., *Epist.*, VII, 16. Spart., *Did. Julian.*, 1.
(3) Appendix, n° 48.
(4) Appendix, n° 9.
(5) *Op.*, III, p. 180, etc.

buisset, per particulas scilicet annorum 72 et 74, et per totum annum 73 (1). Quod si C. Salvius inter prætorios non extemplo adlectus est, debuitque antea, incertum quot mensibus, certe paucis, inter tribunicios adscribi, ita decreverat Vespasianus quia, initio censuræ, Salvius præturæ ætatem nondum attigerat. Cum vero quæsturæ annos jam præteriisset, inter tribunicios fuit adlectus, illudque modo concessit princeps legum tenacissimus ut magistratu, per quem aditus ad honores patebat, solveretur. Hæc Borghesius. Accedit quod potuit Salvius a Vespasiano et Tito censoribus inter tribunicios et postea inter prætorios referri, salva lege quæ vetabat duos magistratus junctim percurri. Statuimus enim censuram eorum per octodecim menses continuatam fuisse, neque arbitratur Mommsenus, principatus temporibus, intervallum quod erat inter quæsturam ædilitatesque vel tribunatum, itemque inter ædilitates vel tribunatum et præturam, anni spatio majus fuisse (2). Quæ cum ita sint, probabilis quidem videbitur Borghesiana conjectura, at multum aberit quin eam ratam judicemus. Fac enim Vespasianus, Salvii merita paulatim modo expertus, ideo eum non ante inter prætorios adlegerit quam inter tribunicios primo fuerit adlectus, totaque jacebit quam rettulimus explicatio.

Conjicit Borghesius Salvium Liberalem ob eam causam inter quæstorios non adlectum fuisse, quia annis maturior esset. Tamen liquet nihil obstitisse quin homines ætate provectiores quæstorii adlectione fierent. Exemplum habemus Antonii Vestini, Viennensis, adlecti in amplissimum ordinem inter quæstorios, quem manifestum est, utpote omnibus honoribus in colonia sua functum, quæsturæ annos jamdiu præteriisse (3). Scilicet principis erat statuere utrum quem adlegere vellet in majorem gradum an in minorem promoveret. Neque mirum videbitur hominem, ex provincia ortum et provincialis tantum nominis, in minore gradu collocatum fuisse, cum contra C. Salvius Liberalis, ex italico municipio, illustrisque in Urbe orator, fraterque præterea vel consobrinus L. Flavii Silvæ Nonnii Bassi, apud Vespasianum ob res militiæ præclare gestas gratissimi (4), inter tribunicios statim et mox inter prætorios adlegeretur. Ceterum adlectio inter quæstorios minus frequenter decreta fuisse videtur. Quam

(1) Vide de hoc Boor, *Fasti censorii*, p. 100.
(2) *Staatsr.*, I, p. 517.
(3) Appendix, nº 71.
(4) Borghesi, *l. c.*

ob causam infra ostendimus. Verum, haud scio an ob illud quoque, quia, qui præclaris meritis benevolentiam principis in se convertissent, jam annis maturiores essent quam ut in senatu quæstorio loco sederent. Quare invenimus unum tantummodo, Vestinum scilicet illum Viennensem, ex iis qui inter quæstorios adlecti nobis innotuerunt, fuisse ex municipio in Urbis lucem translatum, cum contra ceteri sive vigintiviratu, sive tribunatu legionis antea functi essent (1), quæ munera præcipue adulescentulis senatoria vel illustri familia equestri ortis competebant, ut in his futuros honores, tirocinio posito, auspicarentur (2).

Qui honores nunquam attigerant, poterant quidem in ordinem qualemcumque adlegi, omissis gradibus infra jacentibus. Qui vero in ordinem aliquem, sive ob honorem vere gestum, sive per adlectionem, erant adsumpti, debebant inde in superiores ordines, alterutro modo, gradatim ascendere. Nihil contra valet exemplum Claudii Pollionis Juliani Ælii Gallicani, qui, postquam decemvir stlitibus judicandis quæstorque candidatus fuerat, inter prætorios adlectus est, omisso tribunatus gradu, sive ædilitatis plebeiæ vel curulis (3). Cum enim is titulus, incerto tempore, certe non ante Caracallam inscriptus fuisse Borghesio videatur (4), haud scio an Pollio noster lege usus sit, sub principatu Alexandri Severi lata, ex qua quæstores candidati post quæsturam præturam accipiebant (5). De qua lege disceptatum quidem est quo magis pertineret, utrum quæstores candidati statim post quæsturam, an post legitimum intervallum præturam acciperent, necessitate tantum soluti per tribunatus vel ædilitatis gradum transeundi (6). Utcumque vero id dijudicemus, nihil ad rem nostram attinet. At forte, quod tamen Borghesius affirmare dubitavit, Pollio ille noster, quem ex alio titulo comperimus legatum fuisse Germaniæ superioris, idem est ac Pollio quidam quem et ipsum, Elagabalo principe, legatum Germaniæ fuisse ex truncatis Dionis fragmentis deprehendimus (7). Cadit ita nostra de lege Alexandri

(1) Appendix, nos 5, 36, 49, 55, 66, 67, 69, 70, 73, 74, 75, 78.

(2) Unicum exemplum est M. Statii Prisci, qui, post procurationes et militias equestres susceptas, ad senatorias dignitates conversus, per quæsturam, non adlectus quidem inter quæstorios, sed vere quæstor, cursum inivit. *C. I. L.*, VI, 1523.

(3) Appendix, no 54.

(4) Vide ibidem.

(5) Lamprid., *Alexand. Sever.*, 43.

(6) Stobbe, *Die Candidati Cæsaris*. Philologus, 1869, p. 694, etc.

(7) Vide appendicem, no 54.

Severi deducta argumentatio, sed nihilomagis infirmatur quod de continuanda in adlegendo magistratuum serie statuimus. Nempe hominibus patricio genere licitum erat illum tribunatus ædilitatisve gradum omittere (1), neque conjectura absurda est Pollionem, sive patricio genere ortum fuisse, sive ipsum inter patricios adsumptum. Ceterum, ut adlectio bis decreta in titulis nonnunquam occurrit, ita multo minus frequentior erat adlectionis in singulos magistratuum ordines perpetuitas. Exemplum modo habemus T. Flavii Secundi Philippiani, post tribunatum legionis adlecti inter quæstorios, tribunicios, prætorios (2). Cur vero eam potius viam secutus sit, vanum foret inquirere. Suspicari tantum possumus accidisse aliquando ut hominibus, jam honorum cursum ingressis, ac postea, casu aliquo, vel invidia impeditis ne ultra procederent, princeps vellet succurrere. Itaque eos per omnes magistratuum ordines, omissis etiam legitimis intervallis, quadam adlegendi perpetuitate ac celeritate, promovebat, ut mox in eum gradum restituerentur in quem jamdiu pervenissent, nisi fuissent in medio curriculo intercepti.

Adlectionis gradus tres commemoravimus : inter quæstorios, tribunicios, prætorios. De adlectione inter ædilicios haud secus ac de ornamentis ædiliciis mentio nulla reperitur. At de adlectione explicatio est in promptu cur deficiat. Cum enim adlectio eo pertineret ut ordines in quos senatus erat distributus suppleret, communisque esset tribuniciis et ædiliciis ordo constitutus, ex quo decretum erat ut ad præturam iter per tribunatum vel ædilitatem alterutram ad libitum fieret (3), nihil proficiebat adlectioni inter tribunicios alterum vocabulum subjungere. Quæstio quidem oritur cur qui in hunc ordinem relati essent dicerentur potius inter tribunicios quam inter ædilicios adlecti. Constat enim ædilicios in senatu tribuniciis præstitisse cum libera re publica ante tribunicios in albo inscriberentur et sententiam rogarentur (4). De loco quem principatus temporibus obtinerent, utrum separati a tribunis an promiscue sederent, utrum ante eosdem an post, nihil compertum, quanquam parum credibile est de antiquo more aliquid derogatum fuisse. At certe qui curuli ædilitate functi erant ornamentorum splendore tribuniciis præcellebant, utpote toga prætexta et calceis patriciis decorati. Itaque qui inter tribunicios adlecti dice-

(1) Momms., *Staatsr.*, I, p. 537.
(2) Appendix, nº 49.
(3) Momms., *Staatsr.*, I, p. 536.
(4) Willems, *Sénat*, I, p. 257-258.

bantur curuli ædilitate functis, quod ad ornamenta spectabat, posthaberi debebant, quod ad locum, etiam functis ædilitate plebeia. Nisi potius ea conjectura valeat, cum ædiles curules duo quotannis essent, ædiles plebeii quattuor, tribuni plebis decem, placuisse adlectionem inter magistratus plebeios fieri, eamque inter tribunicios numero longe præstantiores; qui vero curuli ædilitate functi essent, etsi in eodem ordine inscriptos, tamen eminentiores ornamentis et sententia, pauciores visos esse quam ut inter eos adlectio peculiaris institueretur. Atque ita intelligitur cur in titulis adlectio inter tribunicios semper memoretur, neque unquam inter ædilicios. Titulos dicimus qui publicorum actorum sermonem referebant. In sermone communi minus adstricte loquebantur, siquidem in vita M. Aurelii id legimus : « Multos ex amicis in senatum adlegit cum ædiliciis aut prætoriis dignitatibus (1). » Quibus verbis adlectio inter ædilicios sive tribunicios intelligenda est. Neque enim existimare possumus de adlectione quadam inter senatores ædilitate curuli functos hic agi, cujus nullum antea vel postea exemplum occurrit. Quæ sequuntur obscuriora sunt, at hic prætereunda, cum alias a nobis tractata sint (2).

Adlectionis inter tribunicios exempla post Severorum ætatem nulla certa novimus. Ultimum exemplum est C. Æmilii Bereniciani Maximi ab Caracalla adlecti (3). Habemus quidem L. Cœlium Festum (4), M. Flavium Postumum (5), L. Ovinium Rusticum Cornelianum (6), P. Claudium Pallantem Honoratum Repentinum (7), quorum in titulis nomen principis a quo adlecti fuerunt vel siletur, vel parum diserte refertur. At demonstramus L. Cœlii adlectionem fuisse a Caracalla aut a Septimio Severo decretam. De M. Flavio constat adlectionem ejus non esse Elagabalo recentiorem. De L. Ovinio et de P. Claudio illud modo compertum est, priorem non ante Nervam vixisse, alterum non ante annum circiter 178, neque tamen post Gallieni tempora. Scilicet, tertio post Ch. n. sæculo, atque, ut videtur, inde ab Alexandri Severi principatu, ædilitas tribunatusque desierunt in magistratibus ordine petendis annumerari, ita ut ne in titulis

(1) Capitol., *M. Anton. Philos.*, 10.
(2) Appendix, n° 39.
(3) N° 56.
(4) N° 53.
(5) N° 61.
(6) N° 63.
(7) N° 64.

quidem qui supersunt jam memorentur (1). Cum autem tribuniciorum ordo simul abolitus fuerit, vel saltem multo rarior factus, adlectio quoque inter tribunicios debuit necessario obsolescere.

Adlectio inter consulares a Cæsare dictatore, sicut ex Cassio Dione accipimus (2), instituta, videtur per duo fere sæcula intermissa fuisse. Narrat quidem Dio C. Cluvium et C. Furnium ab Augusto inter consulares relatos fuisse, cum consules designati consulatum non adepti essent. (3) Satis vero constat adlectionis tantum speciem hic nobis obversari, cum non tam beneficium esset collatum quam injuria rescisa debitusque honos restitutus. Neque aliter supra cognovimus ab imperatore Vespasiano Cn. Domitio satisfactum fuisse (4). Prima quæ proprie et vere dici potest inter consulares adlectio sub Hadriano principe memoratur, et in Attianum tutorem ejus est decreta (5). Adlectos postea in eundem ordinem invenimus, a Commodo principe Salvium Julianum (6) et Tarrutenium Paternum (7), qui, cum ambo essent, ut et ipse Attianus (8), ex præfectis prætorii consulares facti, honoris maximi simulatione, erant de summo potentiæ fastigio detrusi. Itaque adlectio inter consulares ideo tantum vetustioribus temporibus adhibita fuisse videtur quo principes facilius possent præfectos in offensam delapsos summovere. Verum de hoc antea disputavi-

(1) Momms., *Staatsr.*, I, p. 539, 540. Excepto uno ubi legatus quidam leg. X Gem. Gordian. dicitur ædilis cerialis fuisse. Wilmanns, 1215. Ceterum usque ad Gordianorum tempora utriusque magistratus vanam quamdam residuam speciem invenimus. Capitol., *Gord.*, 11. Momms., *l, c.*

(2) Vide partem primam, caput secundum.

(3) LII, 42, anno 726 u. c. = 28. Incertum an Cluvius hic noster idem sit ac ille cui Antonius triumvir traditur, anno 721 u. c. = 33, consulatum dedisse et statim ademisse (Cass. Dio, XLIX, 44). Qui quidem prænomine Lucius apud Dionem dicitur, neque gentilicium ipsum satis certum habet. Exstat quoque Ciceronis epistula ad Cluvium quemdam anni 709 u. c. = 45. (*Ad famil.*, XIII, 7.) Alias Cluvium Puteolanum, familiarem suum, Q. Minucio Thermo, Ciliciæ proprætori, commendat (*ad famil.*, XIII, 56 ; anno 702 u. c. = 52). — C. Furnius Antonianas partes primo secutus erat (Cass. Dio, XLVIII, 13). Filius veniam ejus apud Augustum impetravit (Senec., *De beneficiis*, II, 25). Anno 732 u. c. = 22, post adlectionem igitur inter consulares, legatus Aug. pr. pr. provinciæ Hispaniæ Tarraconensis, Astures et Cantabros vicit (Cass. Dio, LIV, 5). Anno 737 u. c. = 17, consul vere fuit (Klein, *Fasti consulares*).

(4) P. 74.

(5) P. 65.

(6) Appendix, n° 46.

(7) P. 65.

(8) De Salvio conjecturam modo afferimus, at multum probabilem.

mus (1). Illud certe compertum habemus, etiam incipiente tertio sæculo, adlectionem inter consulares nondum usu vulgatam fuisse, cum apud Dionem traditum sit imperatorem Macrinum, non sine publica invidia, inter consulares adlegisse (2). Quam ob causam perspicimus. Nempe consulatus non modo ceteros magistratus dignitate ac splendore longe antecellebat, sed ita frequenter intra anni spatium transmittebatur ut nimium fuisset consulibus suffectis etiam consulares per adlectionem factos adjungere. Consulatus denique neque ad eminentiorem magistratum neque ad munera multa ducebat, idque in adlectione maxime quærebatur ut adlecti possent inde ad munera publica accedere et magistratum eminentiorem adipisci.

De muneribus nunc, ut absolvatur quod ad adlectorum condicionem attinet, dicendum, quæ quidem adlectis, haud secus ac iis qui magistratus vere gesserant, conferebantur. Atque inde jam alteram commentationis partem attingimus, perspicimusque adlectionis cum communi rei publicæ utilitate conjunctionem.

Non nostrum est inquirere quas ob causas simplex illa rem romanam antiquitus usitata gubernandi ratio cœperit, constituto principatu, variis modis implicari, ita ut munera publica tantopere augeri debuerint. Institutum ab Augusto, vel potius inchoatum tale opus, a principibus qui postea venerunt perfectum, aliis exponendum relinquimus. Attendamus modo divisam in duas partes rem publicam, alteramque principi, alteram senatui commissam; abolitam censuram, vel in diversas curationes distributam et quasi multiplicem factam; imminuta veterum magistratuum officia plurimaque inde nova munera condita; mutatam in melius provinciarum administrationem crescentemque ipsum provinciarum numerum; datam denique magis ac magis operam ut pacis romanæ beneficia per illam imperii immensitatem velut continuo et rapido flumine propagarentur. Opus erat igitur ut ad tantam operam navandam apti homines adessent multo plures quam qui olim adfuerant. Prisca autem re publica, qui summa munera in Urbe et in provinciis, belli domique, capessebant, e senatu arcessebantur, neque Augustus sane ceterique principes id sibi in animum inducere poterant, ut tantum ordinem tam præclaro munere exuere aggredderentur, equestremque ordinem in ejus locum substituerent. Equester enim ordo, etsi cœpisset,

(1) P. 63, etc.

(2) LXXVIII, 13 : « ὅτι ἔς τε τοὺς ὑπατευκότας τινὰς ἐνέγραφε ». Nihil est cur cum Reimaro « ἀναξίους τινάς » supplendum censeamus.

faventibus principibus, paulatim increscere, multaque et magna ad se munia trahere, tamen cum senatu nondum ita æmulabatur ut eum splendore vel opibus antecelleret. Itaque non desierunt senatores, per duo sæcula, atque etiam diutius, prout quisque majore vel minore magistratu functus erat, legionibus, provinciis, Italiæ, Urbi, ærariis, viis, alimentis, aquis, Tiberi, ædibus præfici. At magistratuum numerus, cum quidem extremis rei publicæ temporibus auctus esset, ita ut quæstorii, tribunicii, prætorii, etiam consulares satis multi suppeterent, tamen non adeo frequens erat ut posset magnus in eo delectus fieri. Reputemus enim, exempli gratia, quot ferme fuerint, secundo circiter sæculo, prætoria munera. Primo prætoriæ provinciæ, sive senatus, sive Cæsaris, erant viginti una (1). Præterea, in duabus senatus provinciis quæ a consularibus regebantur, in Asia scilicet et in Africa, uterque proconsul legatos secum ducebat tres, consulares nonnunquam, at sæpius prætorios (2). Etiam proconsules prætoriarum provinciarum legatum singuli habebant, sive quæstorium et tribunicium, sive aliquando prætorium (3). Erant autem hæ provinciæ numero novem (4). In provinciis Cæsaris legati Augusti pro prætore tot legatos secum habebant quot legiones (5). Legionibus autem nonnisi prætorii præponebantur (6), fuerantque legiones numero inde a Vespasiani usque ad Severi tempora numero triginta (7). Prætorios juridicos in Italia M. Aurelius quattuor instituit (8), eodemque fere tempore, vel potius ante, Hadriano principe, legati juridici prætorii in provinciis Cæsaris instituti reperiuntur (9), quæ quidem erant numero quattuor et viginti (10). Jam extra Urbem plus quam nonaginta prætorios homines munera obeuntes habemus. Adde eos qui in Urbe obibant, præfectos ærarii militaris tres (11), præfectos ærarii Saturni duos (12), curatores viarum decem, plerum-

(1) Marquardt, *Staatsverw.*, I, p. 335.
(2) Waddington, *Fastes des provinces asiatiques. Des gouverneurs des provinces*, p. 15.
(3) *Ibid.*
(4) Marquardt, *l. c.*
(5) *Ibid.*, I, p. 410; II, p. 442.
(6) *Ibid.*, II, p. 443.
(7) *Ibid.*, p. 435-437. Post Septimium Severum tres et triginta fuere (*ibid.*).
(8) *Ibid.*, I, p. 73.
(9) *Ibid.*, p. 411-412.
(10) *Ibid.*, I, p. 335.
(11) Momms., *Staatsr.*, II, p. 970, etc.
(12) *Ibid.*, p. 972.

que prætorios (1), curatores operum publicorum duos, modo consulares, modo prætorios (2). Adde extraordinaria, sive in Urbe, sive extra Urbem munera, præfectos frumenti dandi (3), præfectos alimentorum (4), legatos censuum accipiendorum, primo consulares, postea vero prætorios (5), curatores civitatum, correctores (6). Illud etiam notandum est non potuisse plerisque prætoriis munera mandari per quæ procul ab Urbe detinerentur, ne vacuus prope foret in curia prætoriorum ordo. Prætorum autem numerus, quamvis non semper idem fuerit, tamen plus quam decem et octo nunquam fuisse videtur (7). Intelligitur inde multum expedivisse si inter prætorios adlecti essent qui nunquam præturam gessissent.

Exemplis illud confirmare supervacaneum videbitur, cum quisque possit, appendicem nostram perlustrando, exploratum habere in quam variis muneribus adlecti in senatorios ordines fuerint versati. Pauca tantum adnotanda sunt. Quæstoriis, utpote infimum locum obtinentibus, pauca munera competebant, quæ quidem, curatione actorum senatus excepta (8), tribuniciis etiam mandabantur. Itaque ea quoque causa addenda est cur minus multi inter quæstorios adlecti occurrant. Prætoria vero munera ut plurima erant, ita quoque plurimos in prætoriorum ordinem adlectos invenimus. Dubitationem an adlectis inter prætorios liceret prætorias provincias sortiri Borghesius sustulit, exemplum afferens C. Salvii Liberalis, cui quidem alia quoque subveniunt (9). Ceterum apud Cassium Dionem legimus institutum ab Augusto fuisse ut proconsules dicerentur, non modo duo illi qui consules fuissent, sed etiam alii qui vel præturam gessissent, vel inter prætorios relati fuissent (10). Quibus verbis adlectos in prætoriorum ordinem aperte significat, etsi, Augusti temporibus, ejusmodi prætorii nondum extra principis domum exstiterint, ita ut parum credibile sit Augustum aliquid de iis decrevisse.

(1) Momms., *Staatsr.*, II, p. 1030.
(2) *Ibid.*, p. 1002-1004.
(3) *Ibid.*, p. 654.
(4) *Ibid.*, p. 1032, n. 1.
(5) Rénier, *Mélanges d'épigraphie*, p. 47, etc.
(6) Henzen, *Sui curatori delle citta antiche. Annali dell' Instit. di Corrisp. archeol.*, 1851.
(7) Momms., *Staatsr.*, II, p. 194, 195.
(8) *Ibid.*, p. 863-865.
(9) *Op.*, III, p. 186, etc.
(10) LIII, 13.

Neminem vero latet Dionem in adumbranda rei publicæ forma, qualis ab Augusto descripta fuerit, eam, quam ipse ante oculos haberet, nimis respexisse, temporumque ordinem ita ab eo perturbatum fuisse, ut Severorum instituta sæpius nobis proposita quam Augusti videre videamur (1).

An adlectis inter consulares liceret consulares senatus provincias sortiri, haud secus ac adlectis inter prætorios licebat prætorias, potest quidem dubitari, cum, in ea adlectorum inter consulares infrequentia, illud nullo exemplo comprobetur (2). Cum autem ratum habeamus adlectis in consularium ordinem consulares Cæsaris provincias potuisse decerni (3), nihil profecto obstabat quin et consulares senatus decernerentur. Quod tamen potest nunquam esse factitatum cum et consulares senatus provinciæ duæ tantum essent, et adlectio inter consulares non ante tertium sæculum, et eo quidem tempore haud ita frequenter, adhibita fuerit.

(1) Habemus quidem, Augusto principe, C. Furnium qui, post adlectionem inter consulares, legatus fuit provinciæ Hispaniæ Tarraconensis. At supra notavimus quid singulare huic adlectioni inesset (p. 83 et n. 3).

(2) Waddington, *Fastes des provinces asiatiques. Des gouverneurs des provinces*, p. 14. Verba Dionis in loco supra laudato : « ἔς τε τοὺς ὑπατευκότας τινὰς ἐνέγραψε, καὶ εὐθὺς ἀρχαῖς ἐθνῶν προσέταξε » ad provincias Cæsaris videntur esse potius referenda cum de sortitione mentio nulla facta sit (LXXVIII, 13).

(3) Vide exemplum M. Cæcilii Novatilliani. Appendix, n° 59.

CAPUT SECUNDUM.

QUID ADLECTIO AD PRINCIPIS POTESTATEM AMPLIFICANDAM CONTULERIT.

Cum igitur tot et tanta conferret in ordinem aliquem functorum magistratuum adlegi, magni intererat a quo adlectio decerneretur, neque mirum erit ornamenta magistratuum, quæ nihilo conducebant, ex senatus arbitrio pependisse, adlectionem vero nonnisi a principe unquam fuisse decretam. Id primo ex titulis apparet ubi, cum sæpissime princeps nominetur qui adlectionem decreverit, de senatu mentio nulla fit, nisi forte, sicut in titulo C. Cælii Saturnini (1) factum est, memoretur quoque principem petitu senatus adlegisse. Quid quod jus adlegendi cum censoria principis potestate erat necessario conjunctum? Ecce autem novum aliquid proponitur. Quippe facultate adlegendi in ordines magistratuum facultas continebatur, non modo senatores ex minore loco in majorem promovendi, verum etiam senatum ipsum supplendi, ita ut princeps, quem penes ea facultas erat, videatur de senatu arbitrium unus habuisse. At in senatum duplex aditus patebat, seu quis magistratum senatorium gessisset, vel adlectus gessisse putaretur. Oportet igitur, priusquam pergamus, de altera in senatum perveniendi ratione pauca disseramus, utrum ea quoque penes principem fuerit, an creatio magistratuum esset omnino, vel partim, ejus arbitrio subducta. Quod si fecerimus, planius ac manifestius apparebit quanti fuerit jus illud senatores per adlectionem creandi, quantumque inde princeps in toto senatu legendo sibi arrogaverit. Neque inutilis etiam ea digressio erit, si voluerimus altius inspicere quo pertinuerit senatores ita adlegi, quantumque illud expediverit ad senatum, inopia laborantem, augendum, restituendum ac recreandum.

(1) Appendix, nº 79.

Libera re publica, magistratus a populo creabantur, et deinde a censoribus in senatum, suo quisque loco, legebantur. Itaque senatus erat in summa populi suffragio lectus et ordinatus. Intermissa a triumviris comitia Augustus restituit, Tiberius e Campo ad patres transtulit, ita ut senatus merito diceretur ipse sui compos exstitisse, cum ipse de senatoribus legendis et ordinandis decerneret, nisi in magistratibus creandis partem aliquam sibi princeps vindicasset. Præcaverat enim Augustus ne nimia exspatiaretur comitiorum libertas, modumque statuerat qui et suffragiis senatoriis postea adhibitus est et retentus.

Duo principi jura competebant quibus in suffragiis ferendis plurimum valebat, jus scilicet candidatos nominandi, et jus commendandi, utrumque ex antiquioris rei publicæ institutis ita callide depromptum et deductum ut vix transitus de libertate ad servitium appareret.

Quæ fuerit, libera re publica, candidatorum professio satis constat. Debebat petitor intra legitimos dies nomen apud magistratum profiteri qui comitia esset habiturus. Is enim judicabat an jure peteretur. Quod si judicaverat jure petitum, candidati rationem habebat, sive nomen ejus accipiebat atque inter nomina eorum adsumebat qui ab ipso proponebantur comitiorum suffragiis. Quod si magistratus nomen petitoris non acceperat, poterat is nihilominus suffragia candidatus obire, atque etiam suffragiis vincere, quæ cum ita successissent, restabat magistratui adversanti ut declararet se eum non esse renuntiaturum. Neque poterat quisquam nisi renuntiatus magistratum capessere. Aliud igitur erat jus nominandi, aliud jus renuntiandi, quæ, etsi eidem competerent, tamen et origine et vi differebant. Cum enim jus renuntiandi esset cum auspiciorum spectione conjunctum, necesse erat plus valeret quam jus nominandi. Nominationem princeps sibi vindicaverat, ita vero ut cum magistratu, cujus esset suffragia percensere, communem haberet. Qui igitur apud principem nomen non erant professi, ii nihilominus poterant a magistratu nominari. Immo, nominatio a principe, non modo poterat prætermitti, at repulsam necessario non prohibebat. Etenim, si candidati a principe nominati debuissent necessario suffragiis creari, nihilo pertinuisset jus commendandi nominandi juri accedere, quanquam insolitum quidem erat nominationem, apud principem efflagitatam, in suffragiis neglegi, et candidatos, qui eam impetravissent, posthaberi iis quibus denegata fuisset. Itaque non immerito Tacitus talem in suffragiis libertatem a Tiberio prædicatam, « speciosam verbis, re inanem aut

subdolam » arbitratus est (1). Cum autem candidati apud principem professi petitum magistratum spe jam prope certa possent affectare, id intererat quot essent quorum professionem princeps accipere soleret. Nempe, perspicuum est ita modo quamdam potuisse in suffragiis libertatem asseri si princeps plus vel minus candidatorum nominaret quam magistratus creari deberent. De hoc vero nihil fere apud historiarum scriptores traditur, neque ex titulis etiam aliquid deprehenditur, cum moris esset in titulis commendationem principis, non nominationem commemorari. Credibile est numerum nunc auctum nunc deminutum fuisse pro arbitrio principis. Apud Tacitum legimus Tiberium candidatos præturæ duodecim nominavisse, qui numerus ab Augusto traditus esset, atque, hortante senatu ut augeret, jurejurando obstrinxisse se non excessurum (2). Assimulata prorsus et vere ad ludibrium composita modestia. Cum enim prætores tantum duodecim crearentur, facile intelligitur cur plures a principe nominari senatus optaverit, recusante Tiberio (3). Ceterum ignoratur quatenus eum numerum principes servaverint, neque de ceteris magistratibus quidquam certius est compertum (4).

Jam inde apparet quantum princeps in creandis magistratibus posset. Tamen aliquando accidere poterat, vel præcavendum erat ne accideret ut patres, libidine quadam libertatis resumendæ, nominationem a principe minoris facerent. Itaque, quo majorem etiam in suffragiis ferendis auctoritatem haberet, præter jus nominandi jus commendandi princeps sibi vindicaverat, novum unius dominationi subsidium neque minus perite ex liberæ rei publicæ institutis petitum (5). Solebant enim antiquitus maximi in civitate viri candidatos quibus favebant comitiorum suffragiis ipsi ambeundo et prensando commendare, multumque sane illa commendatio valebat, siquidem eo populi romani mores semper

(1) *Ann.*, I, 81.

(2) *Ann.*, I, 14.

(3) Vide Cassium Dionem, LVI, 25, anno post Ch. n. 10 : « Sedecim prætores creati sunt..... sequentibus deinceps multis annis tantum duodecim fuere » Locus autem Taciti de candidatis præturæ a Tiberio nominatis est ad annum 14 referendus, quartum annum post sedecim prætores a Dione memoratos. Unde constat anno 14 prætores duodecim fuisse.

(4) De nominatione a principe vide Momms., *Staatsr.*, II, p. 879-881. Controversa quidem res est, at dubitationem omnem sustulisse mihi videtur locus Taciti modo citatus. *Ann.*, I, 81.

(5) De commendatione principis vide Momms., *Staatsr.*, II, p. 881-887. Stobbe, *Die candidati Cæsaris. Philologus*, 1868, p. 88-112. 1869, p. 648-700. Daremberg et Saglio, *Dictionn. des antiquités. Candidatus Cæsaris.*

inclinaverunt ut optimatium auctoritate res publica regeretur. Quid si princeps commendaverat cujus voluntati omnia erant obnoxia? Atqui moribus fuit ipsa lege subventum, edictumque ut quos princeps commendavisset ii « sine repulsa et ambitu (1) » designarentur. Tradit Suetonius Augustum solitum fuisse ipsum cum candidatis suis tribus circumire et supplicare more sollemni (2), at, ex Cassio Dione deprehendimus senescentem eum cœpisse, simulatione omissa, candidatos suos per libellos commendare (3), qui mos et apud senatum est postea adhibitus. Verum levia sunt hæc et ad propositum minus pertinent, cum res ipsas, non rerum speciem, attingere nobis sit in animo. Quare melius erit inquirere, primo an principibus licuerit tot candidatos commendare quot magistratus creari deberent, secundo, an jure summo uti solerent. De jure commendandi in lege de Vespasiani imperio his verbis decernitur : « *Utique, quos magistratum, potestatem, imperium curationemve cujus rei petentes senatui populoque romano commendaverit, quibusque suffragationem suam dederit, promiserit, eorum comitiis quibusque extra ordinem ratio habeatur* (4). » Inde patet jus commendandi sine ulla exceptione fuisse Vespasiano decretum, at, cum hoc loco non repetantur exempla priorum principum, sicut alias dicitur « *uti licuit divo Augusto*, *Ti(berio) Julio Cæsari Aug(usto)*, *Ti(berio) Claudio Cæsari Augusto Germanico,* » recte suspicatus est Mommsenus tunc primum principi licuisse quot candidatos vellet ad quos vellet magistratus commendare, conjicitque Augusto, ut antea Cæsari, vetitum fuisse ne consulatus petitores commendaret (5). Utcumque vero de hoc dijudicatum sit, illud

(1) Tac., *Ann.*, I, 15. Cf. Cass. Dio, LVIII, 20. Vide etiam locum legis de Vespasiani imperio infra laudatum.

(2) *Aug.*, 56.

(3) LV, 34.

(4) *C. I. L.*, VI, 930.

(5) *Staatsr.*, II, p. 882, etc. — Controversam hic quoque rem et dubitatione plenam habemus. Scilicet, primo, de consulatus petitione sub Cæsaris dictatura, vide contra Mommsenum (*ibid.*, p. 710, n. 1) Willems, *Sénat*, I, p. 586. Qui quidem alias (*Droit public*, p. 450) Mommseno consentit de commendatione qualis sub principibus exstiterit. Neque eo minus infirma videbuntur plurima quæ is attulit argumenta. Quid valet enim illud prætendere, nihil attinuisse turbulentis comitiis consules ab ipso Augusto creari, si facultatem Augustus habuisset petitores consulatus commendandi? Quippe commendatio principis comitiorum suffragia, etsi coacta, tamen poscebat, idque sane Augusto in animo erat ut omnem comitiorum lasciviam tolleret. Nil mirum præterea si, in hoc novissimo libertatis morientis tumultu, præcaverat ne cives commendationem ipsam principis minoris facerent. Et illud quoque Mommsenus argumenti loco ponit, apud Tacitum, de comitiis consularibus quæ sub Tiberio et

certe constat nullum neque ante neque post Vespasiani tempora principem jure summo usum fuisse. De consulatu nihil dicimus, cum consul candidatus nullus occurrat, videlicet quia consul omnis candidatus Cæsaris fuerit, ita ut supervacaneum esset id memorare. At, quod ad ceteros magistratus pertinet, non dubium est quin principes soliti sint commendationem parcius impertire. Id jam ex eo sequitur quod qui commendationem principis impetraverant, candidatos Cæsaris se in titulis prædicare nunquam omittebant. Narrat præterea Tacitus Tiberium moderatum fuisse ne præturæ plus quam quattuor candidatos commendaret (1), atque etiam ex Spartiano comperimus, M. Aurelio principe, cum prætores crearentur, ex competitorum grege distingui solitum qui in candida essent, id est qui a principe essent commendati (2). Liquet autem, si princeps tot candidatos commendavisset quot magistratus fieri deberent, neminem alium petiturum fuisse. Ex temporibus Antonini Pii ædilitatem curulem cum commendatione principis petivisse videntur qui post quæsturam ab actis senatus fuerant (3). Latet qui fuerit in commendandis tribunis plebis modus. Ædilis plebis candidatus Cæsaris nullus occurrit (4). Adde quod, etsi permissum fuerit principi, sicut ex lege de imperio Vespasiani comperimus, extra ordinem commendare, nus-

deinceps fuere disserentem (*Ann.*, I, 81), professionem tantum nominis memorari quam princeps accepisset, neque unquam, his temporibus, quæ proprie dicatur commendationem referri; ubicumque autem in historiis consules ipse princeps creasse tradatur, nihil aliud quam patefactam ejus voluntatem exprimi (Cass. Dio, LVIII, 20. Senec., *De Clement.*, I, 9). Fac vero ita sit, neque etiam in titulo ab ipso Mommseno ex mss. Vaticanis emendato « *Per commendation(em) Ti(berii) Cæsaris Augusti ab senatu co(n)s(ul) dest(inatus)* » commendationem satis aperte enuntiari, quandoquidem vocabulum usitatum « *candidatus Cæsaris* » non adhibeatur. At apud eundem invenimus neque post Vespasiani tempora consulem candidatum ullum occurrere, ob eam causam quia inde consul omnis candidatus Cæsaris fuerit. Quæ tamen causa, si tunc temporis valebat, latet cur et non antea valuerit. Ea sunt quæ contra Mommseni opinionem succurrunt. Quibus expositis, duo tamen restant quæ ejusdem sententiæ opitulantur : primo locus Taciti supra laudatus (*Ann.*, I, 81) ubi mirum esset de nominatione tantum disseri si commendatio impertita fuisset, secundo, locus legis de Vespasiani imperio ubi Augusti et Tiberii et Claudii nomina prætermittuntur. Ex quo intelligitur quomodo conjectura probabilis videatur commendationem in consulatu petendo ab his principibus nondum adhibitam fuisse. Quod ad Caligulam, Neronem, Othonem, Vitellium spectat, satis constat nomina eorum prætermissa fuisse ob infensum memoriæ Vespasianum.

(1) *Ann.*, I, 15.

(2) *Sept. Sev.*, 3.

(3) Momms., *Staatsr.*, II, p. 864 et 886.

(4) Vide Stobbii indicem. *Philologus*, 1869, p. 650-656.

quam apparet in commendando legibus annariis derogatum fuisse.

De ordinando senatu, sive de senatoribus ex minore loco in majorem promovendis diximus. Qui enim tribunatum, vel ædilitatem, vel præturam, vel consulatum petentes a principe commendabantur, ii jam per quæsturam senatores erant. Qui autem in senatum per quæsturam erant admissi, spem haud parvam habebant ceteros magistratus ordine adipiscendi. Quod plane manifestum erit si reputaveris quæstores quotannis non ultra viginti fieri, tribunos vero plebis creari decem, ædiles sex, prætores non minus quam duodecim, et ipsum consulatum pluribus quotannis decerni (1). Cum igitur ex viginti quæstoriis quotannis tribuni decem ædilesque sex legerentur, pauci restabant in honorum cursu intercepti. Immo, cum, sedecim quotannis ædiliciis et tribuniciis factis, prætores ante Nervam decem et octo aliquando fierent, post Nervam autem is numerus rite mansisset (2), quæstio foret quomodo expleri potuerit, nisi ex Dione acciperemus prætorum numerum quotannis pro competitorum numero definitum fuisse (3). At satis multos solito petiisse invenimus ita ratiocinando. Nempe licebat quæstoriis patricio genere ortis, vel in patricium genus adsumptis, tribunatus ædilitatisque gradum præterire (4). Quattuor autem quæstorios qui quotannis neque tribuni neque ædiles designabantur patricios esse credimus, ita ut præturam nihilominus possent post legitimum intervallum petere. Petebant igitur viginti, si non quotannis, tamen aliquotiens, ex quibus duo necessario repulsa lata petitoribus futuris se adjungebant. Neque eo minus accidere poterat, si qui obiissent, vel honoribus valedixissent, ut candidati pauciores suppeterent. Ne plura faciamus, liquet ita candidatorum numerum magistratuum numero pensatum fuisse ut qui præturam, vel ædilitatem tribunatumve peterent ex commendatione principis honorem potius quam utilitatem veram percepisse viderentur, cum major pars eorum, necessitate quadam, serius ocius, legeretur. Quæsturam vero petentibus et senatorios honores auspicantibus, ut delectus inter eos major fieri poterat, ita commendatio principis multo pluris vale-

(1) Willems, *Droit public*, p. 456-463.

(2) Cass. Dio, LX, 10. Dig., I, II, 2, 32.

(3) LIX, 20. De Caligulæ temporibus Dio loquitur, at credere possumus id sæpius factitatum fuisse, quo tempore nondum adlecti inter prætorios satis multi suppetebant. Infra autem demonstramus jus adlegendi extra censuram susceptam nonnisi principibus qui post Vespasianum venerunt obtigisse.

(4) Vid. p. 80.

bat. Neque candidatis modo ea commendatio maximi erat momenti, verum ipse princeps jus candidatos quæsturæ commendandi plurimi sane facere debebat, siquidem senatores ita legebat quorum plerique, sive per commendationem, sive petendo sine commendatione, ad summos honores erant necessario perventuri. Itaque si ratum habere volumus quantam sibi princeps in creandis senatoribus partem vindicaret, necesse est ultra progrediamur et inquiramus quot candidatos quæsturæ commendare soleret.

Videtur autem princeps solitus fuisse eos tantum candidatos quæsturæ commendare quos legerat ad epistulas orationesque suas in senatu pronuntiandas, quique propter hoc quæstores principis dicebantur. Invenimus quidem quæstorem quemdam provinciæ Siciliæ candidatum *imp(eratorum) Antonini et Veri Augustor(um)* (1), ex quo deprehendimus commendationem principis etiam latius aliquando patuisse, at cum nullum alterum tale exemplum notum sit, cum præterea in titulis is qui per commendationem principis quæsturam acceperit, sive quæstor principis, sive quæstor candidatus principis dicatur, et utraque appellatio, etsi minime idem significet, altera pro altera sine discrimine usurpetur (2), satis manifestum est ceteris quæstoribus commendationem parcius fuisse concessam. Quæstores autem principis erant numero duo (3), ut videatur princeps nonnisi duos candidatos quæsturæ solito commendavisse. Cum autem quæstores quotannis viginti fierent, qui simul fiebant senatores, duos senatores princeps creabat, ceteri a senatu ipso legebantur.

Neque tamen res est adhuc satis explorata et perspecta. Qui quæsturam petebant debebant antea vigintiviratus munus explevisse, unde ea statim quæstio oritur qui fuerit in creandis viginti quæstoribus delectus cum, ut ex ipso verbo apparet, vigintivi-

(1) *I. R. N.*, 1881. Klein, *Die Verwaltungsbeamten der Provinzen des Römischen Reichs*, I, I, p. 169, n° 18.

(2) Vid. *C. I. L.*, II, 4509, 4510. In altero titulo L. Minicius Natalis dicitur *q(uæstor) Aug(usti)*, in altero *q(uæstor) candid[atus divi] Hadriani*. Cf. titulum C. Popilii (Henzen, 6501) qui dicitur prætor, tribunus plebis, quæstor divi Hadriani fuisse, simulque in omnibus honoribus candidatus imperatoris. Ceterum, si non nisi in quæstura candidatus fuisset, quæstor Augusti non diceretur. Nusquam enim qui dicitur quæstor Augusti fuisse, simul dicitur fuisse quæstor candidatus, et vice versa : quam ob causam nisi quia ambo honores erant necessario conjuncti? Cf. Ulpianum (*Dig.*, I, XIII, 2) « ... excepti erant candidati principis : hi etenim solis libris principalibus in senatu legendis vacant. » Cf. 4 : « ... quidam sunt qui candidati principis dicebantur, quique epistulas ejus in senatu legunt. » Vide Momms., *Staatsr.*, II, p. 517.

(3) *Ibid.*, p. 520.

rorum numerus quæstorum numero par quotannis fuerit. Illud vero notandum est duplex fuisse honores auspicantibus belli domique tirocinium, vigintiviratum scilicet et tribunatum legionis, potuisse autem utrumque alterna vice inde ab anno ætatis octavo decimo geri (1), cum quæstura tantum anno vicesimo quinto gereretur (2). Fingamus autem viginti adulescentes, senatorium auspicantes gradum, annumque natos octavum decimum anno dicto A vigintiviros creari. Eodem anno tot certe adulescentes ejusdem gradus appetentes tribuni militum creabantur. Qui autem anno A vigintiviri facti erant, anno B vel etiam serius, at certe ante annum ætatis vicesimum quintum, tribuni fiebant; rursum anno B fiebant vigintiviri qui anno A facti erant tribuni. Inde omnes, annum ætatis vicesimum quintum adepti, quæsturam simul petebant, ita ut petitores quadraginta — exceptis paucis qui naturæ concesserant (3) —, suppeterent, delectusque in hunc annum et deinceps in annos posteros satis amplus esset. Quod si quis nunc requirat quo pacto quæstores, ante hunc annum, quem dicimus G, legerentur, illud imprimis fingere licebit Augustum, cum statueret ut nemo quæstor fieret nisi vigintiviratu antea functus, simul consuluisse ne initio quæstores deficerent, nonnullos vigintiviratus necessitate solvendo. Neque opus quidem erat ut omnes solveret, cum multi superessent quæsturam legitime petituri, id est vigintiviratu, vel potius vigintisexviratu functi ex quo tempore vigintisexviratus pro vigintiviratu esset, liceretque præterea ad quæsturam nullo minore magistratu gesto accedere (4). Quid quod finximus, brevius argumentandi causa, omnes qui anno dicto A tirocinium posuissent, annum ætatis octavum decimum nondum excessisse, cum possent nonnulli fuisse maturiores, ita ut facultatem

(1) De tribunatu vide Dionem, LII, 20. Momms., *Staatsr.*, I, p. 553, n. 4. Eandem ætatem vigintiviris exigi, cum ex similitudine conjicimus, tum etiam confirmamus ex titulis. Vide *I. R. N.*, 456. C. Læcanius « ... *IIIvir a(uro) a(rgento) a(ere) f(lando) f(eriundo) vixit ann(os) XIIX.* »

(2) Momms., *ibid.*, p. 554, n. 1. Ex titulis deprehendimus secundo sæculo usum potius invaluisse ab vigintiviratu initium sumendi (Momms., *Staatsr.*, I, p. 526); at satis est quosdam eum ordinem invertisse, sicut antiquitus sæpe factitabatur, ut argumentatio nostra integra sit, et candidati quæsturæ plures suppeterent quam viginti.

(3) Numero quattuor, si modo eadem tunc lex naturalis vigebat quam nostris temporibus probatam habemus. *Annuaire du bureau des longitudes. Tableau de la mortalité en France par Duvillard.*

(4) Constat vigintisexviratum ineunte Augusti principatu etiam nunc exstitisse. *C. I. L.*, I, p. 186, n° 637. Cass. Dio, LIV, 26. Vid. Momms., *Staatsr.*, I, p. 529.

habuerint maturius quoque petendi. Neve quis objiciat, numero eorum detracto, in annum dictum G non multos satis petituros, cum et anno B, et anno C, et aliis deinceps plures quoque esse deberent annum ætatis octavum decimum transgressi, unde patet candidatorum inopiam nunquam esse nisi in annum finalem nescio quem metuendam. Quod si tamen accidit aliquando ut deessent (1), opinamur id potius rerum publicarum incuriæ, qua tunc temporis Roma laborabat, imputandum. Atque ita explicandum censemus quomodo fieret ut quæsturam satis multi peterent, cum tamen nemini petere liceret nisi per vigintiviratum sibi iter struxisset, et tot quæstores quotannis quot vigintiviri crearentur. Non potuimus enim id quod Mommseno placuit (2) nobis in animum inducere, ita rem publicam ab Augusto ordinatam fuisse, ut capessendis magistratibus candidati sæpius desiderarentur, etsi probe sciamus cum libertatis, tum principatus temporibus, optime cautum ut honores penes paucos nobiles manerent. At rei publicæ quoque administrandæ ratio erat habenda.

Quæ cum ita sint, operæ pretium erit inquirere a quo vigintiviri crearentur. Qui enim vigintiviros creabat, non senatum quidem legebat, cum ratum sit qui vigintiviratum obtinuissent non omnes in senatum admitti, verum eos designabat quorum magna pars in senatum legi deberet. Opinatur Mommsenus (3) consentitque Willemsius (4), ex similitudine, credo, cum ceteris magistratibus judicantes, quandoquidem argumentum nullum ex veterum scriptis producant, vigintiviros senatus suffragiis creari, cumque vigintivir nullus candidatus principis unquam occurrat, illud quoque statuunt commendationem principis in vigintiviris creandis non esse usitatam. Quod si recte dixerint, videbitur senatus liberum ferme arbitrium de senatoribus legendis habuisse, cum eos designaret e quibus princeps duos quotannis senatores, ipse duodeviginti legeret. At altius inspicientibus apparet eam senatus in legendo libertatem non omnino integram fuisse. Nempe tribuni legionum a principe legebantur (5), cumque honores petituri tribunatum legionis haud secus ac vigintiviratum gessisse deberent, qui tribunatum legionis non adepti erant, etsi fuissent vigintiviri

(1) Cass. Dio, LIII, 28 ; LVII, 16.
(2) *Staatsr.*, I, p. 529. Cf. p. 476.
(3) *Staatsr.*, II, p. 886.
(4) *Droit public*, p. 449.
(5) Momms., *Staatsr.*, II, p. 821.

a senatu creati, non poterant, nisi vacationem militiæ impetravissent, ad senatorium gradum evehi.

Sunt vigintivirorum genera duo distinguenda, seu quis senatorio loco natus sit, seu quis equestri. Qui senatorio loco nati erant nonnulli quodammodo cogebantur ut honorum cursum inirent. Arbitratur Mommsenus (1) id lege præscriptum fuisse, locumque affert Cassii Dionis ubi traditur adulescentes senatorio loco paupertatem apud Augustum excusavisse ne inter senatores inscriberentur (2) At, præterquam quod ex hoc loco minime apparet legi magis quam principis voluntati obtemperatum fuisse, in albo Canusino, anno 223 conscripto, animadvertimus post decuriones sive magistratu functos, sive pedanos, viginti quinque prætextatos inscribi. Erant autem hi inter decurionum filios selecti, siquidem ex paucitate eorum satis constat non omnes decurionum filios in albo locum obtinuisse. Decuriones enim centum recensentur (3). Ut ad senatum romanum revertamur, nescimus quidem an pueri ad honores destinati in albo senatorio, sicut in municipiis mos erat, inscribi solerent, at jam supra docuimus Augustum, liberis senatorum permisisse, quo celerius rei publicæ assuescerent, protinus a virili toga latum clavum induere et curiæ interesse (4). Qui igitur hoc jure utebantur ad vigintiviratum capessendum erant suffragiis senatus designati; qui vero tali honori se subduxerant nihil est cur eos dicamus aliquid contra leges deliquisse. Ceterum illud facile concedimus senatorium munus cœpisse hac ætate magis ac magis per hereditatem transmitti, ita ut senatus, cum senatores plerosque ex propriis quasi visceribus traheret, deberetque præterea unumquemque ex infimo gradu ad altissimum necessitate quadam promovere, in legendo minus solutus, in re publica tractanda eo liberior potuisset evadere, si modo animus non defuisset. Neque ignoramus quidem principem demum senatus arbitrium habuisse, cum posset quotannis, album conficiendo, quos vellet movere (5), at nihilominus erat quædam ex hereditaria dignitate sumpta auctoritas quæ plus fortasse valuisset, modo defensa fuisset et exculta.

Altera vigintivirorum pars ex equestri ordine legebatur. Ex Cassio Dione accipimus, Augusto principe, decretum fuisse ut

(1) *Staatsr.*, I, p. 479, n. 1.
(2) LIV, 26.
(3) *I. R. N.*, 635. Vide etiam exemplum Cornelii Fusci, p. 108.
(4) Suet., *Aug.*, 38. Vid. p. 57-59.
(5) Momms., *Staatsr.*, II, p. 906.

vigintiviri ex equestri ordine legerentur, atque inde neminem eorum in senatorio albo inscriptum fuisse, nisi quem alium magistratum gessisset (1). Erraret qui ex hoc inferret neminem antea, nisi senatorio loco ortum, potuisse ad vigintiviratum accedere. Absurda enim nimis lex videretur quæ effecisset brevi ut senatus inopia hominum laboraret. Ceterum manifestum est licuisse adulescentibus equestri loco natis, etiam ante decretum de quo apud Dionem traditur, vigintiviratum adipisci. Exemplum habemus illustre Ovidii Nasonis, qui, equestri genere natus, anno 711 u. c. = 43 (2), vigintiviratu functus est (3), non certe post annum ætatis vicesimum quintum, scilicet ante annum 737 u. c. = 17. Narrat autem Dio senatusconsultum illud de vigintiviratu Augusto absente latum fuisse, neque absentia ea alia esse potest quam quæ supra eodem libro memoratur, cum Augustus in Gallia versaretur, unde, anno 738 u. c. = 16 profectus, non ante annum 741 u. c. = 13 Romam rediit (4). Constat igitur vigintiviratum utrique ordini semper patuisse, eo quidem pacto ut vigintivir equestri genere ortus censu senatorio esset, nobisque restat ut Dionem sive falsum fuisse, sive male a nobis intellectum reputemus. Atque haud scio an illud intelligendum sit, primum moris fuisse vigintiviros in senatorio albo inscribi, non quod senatores jam ante quæsturam facti essent, sed quod omnes, alterutro loco orti, jam inde cœpissent in senatorium ordinem adscribi, ita ut, qui equestri loco essent, haud secus ac ceteri ad quæsturam petendam incitarentur vel cogerentur, postea vero, cum multi eo tempore senatoriam dignitatem essent aversati (5) atque ideo vigintiviratum petere recusarent, cautum fuisse ne vigintiviratus desereretur, decernendo ut qui eques vigintivir creatus esset nihilominus in equestri ordine maneret, nedum esset jam inde in senatorium ordinem adscriptus et ad honores petendos incitatus.

Ecce autem aliquid superest expediendum, atque illud quidem, ut maximi momenti, ita dubium controversumque, usque adeo quæ plurimum ad horum temporum instituta cognoscenda pertinent ignoramus. Quæstio enim est utrum senatui licitum fuerit ex equestri ordine quoscumque placuisset, modo senatorio censu essent, ad vigintiviratum capessendum sumere, an princeps eos

(1) LIV, 26.
(2) Ovid., *Trist.*, IV, 10, 6.
(3) *Ibid.*, v. 34. *Fast.*, IV, 384.
(4) LIV, 19-25.
(5) Vide caput tertium

ante designaret qui et petere et legi possent, scilicet, utrum petitores possent angustum clavum, quod equestre insigne erat, gerere, an deberent prius lato clavo principis beneficio ornati fuisse, si senatorium insigne non ex hereditate accepissent. De exemplo Ovidii nihil est arguendum. Is quidem honores petiturus latum clavum induerat, quem deinde post vigintiviratum gestum exuit (1). At eo tempore vigintiviratus, utpote senatorius magistratus, erat necessario cum lato clavo conjunctus. De vigintiviratu qualis, Augusto absente, inter annos 738 U. C. = 16 et 741 U. C. = 13 constitutus fuit ac postea mansit, agimus. Mommseni opinio est non potuisse quemquam qui non senatorio loco esset ad vigintiviratum accedere nisi fuisset prius lato clavo a principe donatus, quam vero ob causam in eam opinionem inductus fuerit explicare parum curavit quæstionemque integram reliquit (2). Quæ quidem nobis ita proponenda videtur, utrum vigintiviratu functi iidemque in honorum cursu minime intercepti, essent lato clavo omnes induti, necne. Etenim si demonstramus fieri potuisse ut nonnulli ex vigintiviris usque ad quæsturam angusticlavii essent, eo magis apparebit licitum fuisse vigintiviratum etiam sine lato clavo petere. Neque illud quidem pro argumento afferimus, vigintiviratum equitibus patuisse, ut repugnet eos qui ex equestri ordine lecti essent debuisse angustum clavum pro lato clavo, id est, equestrem dignitatem pro senatoria dignitate mutavisse. Scimus enim primores equestris ordinis, sive equites illustres vel dignitate senatoria, lato clavo ornatos fuisse, etsi nihilominus essent in equestri ordine inscripti (3). Poterant igitur vigintiviri equestri loco nati latum clavum induere, neque ideo ex equestri ordine in senatorium ordinem transferri. Immo, illud notandum est nusquam duo vigintivirorum genera distingui, prout latum clavum, vel angustum gererent, cum contra compertum sit tale inter tribunos discrimen exstitisse. Tribuni quidem angusticlavii in titulis nunquam memorantur, at præterquam quod Suetonius narrat patrem suum tribunum angusticlavium fuisse (4), satis constat tribunos qui laticlavii non appellentur pro angusticlaviis esse habendos, ea, si ita placet, correctione adhibita laticlavios nonnullos in eorum numero latere (5). Qui autem latum clavum

(1) *Trist.*, IV, 10, 25-36.
(2) *Staatsr.*, II, p. 886, n. 3.
(3) Vid. caput quintum.
(4) *Otho*, 10.
(5) A. W. Zumpt, *Commentationum epigraphicarum volumen alterum*, p. 19.

gerebant, sive illud memoretur, sive prætermissum fuerit, senatorum liberi erant qui latum clavum protinus cum virili toga induerant, vel adulescentes equestri loco qui eundem ex hereditate ipsi quoque acceperant, vel qui impetraverant a principe cum spe honorum adipiscendorum, vel alii etiam qui militari industria ad tribunatum pervenerant fuerantque illo lati clavi præmio donati. Quæ cum ita sint, miramur sane idem discrimen inter vigintiviros nunquam apparere, cumque illud certe demonstratum sit non omnes vigintiviros angusticlavios fuisse, ad conjecturam facile delabimur omnes fuisse laticlavios. Verum etiam atque etiam cogitantibus dubitatio oritur, vel potius diversa sententia prævalet. Nempe, si omnes vigintiviri laticlavii erant, quid attinebat tribunos nonnullos, vigintiviratu functos, laticlavios dicere, sicut in titulis aliquando factum fuisse deprehendimus (1)? Ceterum nihil est cur suspicemur nonnisi tribunis laticlaviis iter ad senatum patuisse. Videmus enim, quo tempore vigintiviratus ante tribunatum plerumque gereretur, secundo scilicet et tertio sæculo (2), tribunos utriusque generis ad senatum eadem ratione pervenisse, siquidem illud compertum est eorum qui lacticlavii non dicuntur alios quidem laticlavios esse, alios quoque angusticlavios (3). Quotienscumque igitur princeps latum clavum adulescenti equestris ordinis donabat, atque id sæpius factitatum esse infra ostendimus (4), non spatium quidem honorum ei recludebat, quod utique erat apertum, at suam in eum voluntatem manifestius expromebat, ut senatus suffragia in neminem magis inclinarent (5). Rursum, senatus, etsi illud nulla lege edictum fuisse videatur, debebat præ angusticlaviis laticlavios legere (6),

(1) Orell. Henzen, 2379, 6048, 6484, 6500, 6501, 6485. Wilmanns, 1193, 1203^b, etc. Neve quis obtendat eos ideo laticlavios dictos quia vigintiviratum antea gessissent. Habemus enim nonnullos qui, etsi vigintiviratu antea functi sint, tamen tribuni simpliciter dicuntur. Orell. Henzen, 6495. Wilmanns, 1147, 1148, 1149, 1155, 1159, etc.

(2) Vid. p. 95, n. 2.

(3) Vid. Wilmanns, 1147, 1148 et ceteros titulos qui ad finem notulæ n° 1 memorantur.

(4) Vide jam notulas sequentes.

(5) Traditur Caligula adlectis nonnullis in equestrem ordinem permisisse « ut, in *spem senatoriæ dignitatis* veste senatoria (*id est lato clavo*) uterentur, antequam senatorium magistratum gessissent, quod quidem nemini antea videtur contigisse nisi qui senatorio loco ortus esset. » Cass. Dio, LIX, 9. De hoc Dionis loco vide ad Appendicem, n° 2.

(6) Vid. Plin., *Epist.*, II, 9. « Ego Sexto latum clavum a Cæsare nostro, ego quæsturam impetravi. » Scilicet quæstura ex dato lato clavo necessitate quadam erat consecuta.

sive illi insigne senatorium ex hereditate accepissent, sive principis beneficio, eratque ita multum ejus libertati, cum hereditatis jure, tum principis arbitrio, detractum.

Ad propositum nunc revertimur unde sumus haud inconsulto digressi. Colligamus enim quæ supra exposuimus et quid inde sequatur statuamus. Illud primo manifestum fit rem haud ita simplicem nobis esse propositam. Sunt enim vel infinitæ potentiæ termini, si minus ipsis legibus, at certe quadam rerum humanæque naturæ necessitate appositi. Ceterum, et principum singulorum indoles non est negligenda, et ipse principatus non talis omnino a primordio qualis postea exstitit. Argumento est jus illud candidatos commendandi quod Augustus, et Tiberius, et Claudius non videntur integrum obtinuisse. Omittamus vero hoc levioris quidem momenti. Ecquis enim arbitrabitur iisdem non satis auctoritatis fuisse ut senatorum suffragia possent, si ita placuerit, regere ac coercere, cum præsertim juri commendandi jus nominandi, et illud quidem nullis legibus circumcisum, accederet? Neque de lectione senatus quotannis iterata cum facultate quemcumque ad libitum movendi, neque de lege majestatis loquimur, aliisque imperii instrumentis, quibus omnia cedebant. Itaque merito judicabimus principem in senatu legendo ordinandoque, sicut in ceteris rebus, solutum arbitrium inde ab initio habuisse. Quod si tamen, omissa de juribus quæ princìpi competerent controversia, attenderimus modo quatenus iisdem uti soleret, apparebit libidinem ejus minus intemperanter exspatiatam fuisse, sive legum de ordine magistratuum respectu, sive hereditariæ apud quasdam familias senatoriæ dignitatis, sive etiam residuæ alicujus in ipso senatu libertatis.

Quæstionem duplicem persecuti sumus, de senatoribus in senatum legendis, et de senatoribus in ipso senatu de minore loco ad majorem promovendis. De senatoribus in majorem locum promovendis, id est de magistratibus ultra quæsturam creandis, divisum arbitrium princeps et senatus habebant, cum princeps satis duceret candidatos aliquot commendare, aliquot nominare, ceteros a senatu legi pateretur. Atque ea senatus libertas, etsi precaria, non erat utique vana et ad ludibrium concessa. Exarsisse enim sæpius in curia ambitum docemur (1), quod fieri non potuisset, nisi princeps senatui habenas aliquando laxavisset. At neque princeps neque senatus in hoc multum poterant. Ita enim principatus temporibus institutum erat ut qui per quæsturam fuissent in senatum

(1) Vide ex. causa Plin., *Epist.*, III, 20. Tacit., *Ann.*, XIV, 28.

admissi ad superiores gradus necessitate quadam essent promovendi.

In legendo senatu majus quam in ordinando spatium dabatur, neque illud tamen infinitum. Nempe, adulescentium qui dignitatem senatoriam appetebant, altera pars, senatorio loco orta, quodam hereditatis jure vigintiviratum adipiscebatur, ita ut principatus ille conditor Augustus, cum senatoriam dignitatem magis etiam hereditariam faceret quam antea fuisset, videatur aliquid de potentia sua remisisse, quo stabiliorem splendidioremque rem publicam constitueret. Altera pars equestri loco majorem in petendo aleam habebat. Legebantur quidem adulescentes equestris ordinis, sicut ii qui senatorii erant, senatus suffragiis, at liberioribus, nisi forte quemquam princeps lato clavo ornavisset atque ita avertisset in eum senatus suffragia. In hoc denique, ne quid omittamus, principis auctoritas valebat quod poterat tribunatum legionis adulescentibus utriusque ordinis abnuere, quem nisi gessissent quæsturæ gerendæ impares habebantur. Ita designabantur qui quæsturam, id est, aditum in senatum legitime peterent. At cum duo tantum eorum a principe commendari solerent, ceteri duodeviginti a senatu crearentur, quæstores, vel alio nomine, novos senatores multo plures senatus quam princeps faciebat, nisi tamen is nominandi jure largius aliquando usus esset, de quo nihil est compertum.

Intelligitur nunc quantum jus in ordines magistratuum adlegendi ad principis potentiam contulerit. Illud nempe præcipue incommodum erat, quod in senatum nonnisi hominibus quæstura functis aditus patebat, neque ulli licebat in majorem ordinem promoveri, nisi ad majorem quoque magistratum pervenisset, minorem antea adeptus. Quare parum perspicitur qua ratione princeps potuerit quemquam in curiam arcessere, nisi quem, vix e pueritia egressum, ad honores capessendos per illud civile et militare tirocinium impulisset. Quod si tamen hominem, jam ætate provectum, ob singularia in aliis officiis merita vellet ad honores senatorios evehere, incertus erat quid ageret. Indecorum enim censebatur talem hominem peractam viam quasi repetere, et medium inter adulescentulos discere denuo publicarum rerum rudimenta (1). Neque poterat princeps facile eum legitimo ordine solvere, siquidem, annorum remissionem, non magistratuum,

(1) Exemplum unicum est M. Statii Prisci qui post plurima equestria munera, ad quæsturam et summos inde senatorios honores, omisso quidem vigintiviratu, accessit. *C. I. L.*, VI, 1523.

decerni solitam fuisse invenimus (1). Illudque erat, cum principis dominationi, tum communi utilitati adversum, nam principis intererat ut de senatoribus legendis et quocumque loco statuendis arbitrium haberet, et intererat rei publicæ ne senatus præcluderetur iis qui se tanto honore dignos alias præstitissent. Adlectione autem fuit et dominationi principis et communi utilitati subventum.

Erat jus adlegendi cum censoria principis potestate conjunctum, at multo latius quam veterum censorum potestas patebat. Nihil est enim cur Mommseno consentiamus censoribus licuisse, si quem forte legissent qui magistratu functus non esset, eum in gradum senatorium quemcumque referre, nedum infra quæstorios collocare deberent (2). Censoria autem principum potestas non talis ante Flaviorum ætatem quam postea fuit. Quo jure Augustus senatum ter legerit jam alias explanavimus (3). Censuram quidem nunquam assumpsit, at censoriam potestatem cum consulari potestate conjunctam, prisco more, obtinuit. Videntur autem censuales lectiones, ex consulari potestate institutæ, post eum duas ob causas abolitæ fuisse, priorem quia illa censoriæ potestatis cum consulari potestate conjunctio non permansit, alteram, quia, cum necessitas temporum ab Augusto postulasset ut deformis et incondita senatorum turba ad modum pristinum et antiquum splendorem redigeretur, purgato jam et recreato senatu, raro postea advenit ut tantum opus repeti denuo oporteret. Itaque ea fuit perpetua et constans norma ut senatus per viginti quæstorios quotannis suppleretur, cum simul tribunatu plebis vel ædilitate utraque functi in tribuniciorum sive ædiliciorum ordinem promoverentur, prætura in prætoriorum, consulatu in consularium, eratque illud quotannis in albo a principe confecto omnium oculis propositum. Qui quidem unum hoc ex censorum potestate retinuerat, ut nomina eorum præteriret quos indignos judicavisset (4). Negat, vel negare videtur Mommsenus principem in albo conficiendo aliquid de moribus regendis curavisse,

(1) Momms., *Staatsr.*, I, p. 556-558. Excipiendi sunt domus Cæsareæ adulescentuli. Vide partem secundam, caput quartum. Cf. Mommsen, *l. c.*, cum notulis. Sejanus quidem, nullo antea senatorio magistratu gesto, consul factus est (vid. p. 50), verum dubito num illud alias repetitum sit. Plautianus in senatum antea adlectus fuerat, haud scio an inter prætorios (?) Vid. p. 51.

(2) *Staatsr.*, II, p. 899 et 900, n. 1.

(3) Vide partem primam, caput secundum.

(4) Illud jam ab Augusto institutum fuisse a Cassio Dione docemur, LV, 3. 745 u. c. = 9.

eosque tantum prætermisisse contendit quibus per leges senatui interesse non liceret, ut si quis, exempli causa, censum senatorium amisisset, vel turpi judicio esset damnatus, vel in acta principis jurare recusavisset (1). At, præter id quod facultas senatores movendi sine ulla exceptione principi competebat, ut nihil impediverit quin et censorium de moribus regendis munus, si ita placuisset, usurparet, Suetonius tradit Tiberium senatori latum clavum ademisse quem cognosset sub kal. Jul. demigrasse in hortos quo vilius post diem ædes in Urbe conduceret (2), eodemque loco memorat alium quæstura remotum fuisse quod uxorem pridie sortitione ductam postridie repudiasset, in quo uterque contra mores, non contra leges, peccaverat. Partem igitur non parvam censoriæ potestatis sibi princeps vindicabat, cum de nominibus senatorum prætereundis quotannis ipse statueret, at in hoc tantum censoria ejus potestas constabat quod e senatu movebat, nedum in senatum legeret. Quod si tempora postulabant ut inops senatus suppleretur, debebat censuræ munia universa cum censoris nomine usurpare, fuitque ita post Augustum censura bis redintegrata, a Claudio cum L. Vitellio collega, et a Vespasiano cum Tito filio (3). Quibus exceptis, notabile est nullum ex iis qui ante Domitianum principatum obtinuerunt, in ordines functorum magistratuum unquam adlegisse. Etenim, præterquam quod nemo neque a Tiberio, neque a Caligula, neque a Nerone, neque a Galba, vel Othone, vel Vitellio adlectus invenitur, narrat Tacitus Neronem, comitia prætorum acriore ambitu flagrantia composuisse, tres qui supra numerum petebant legioni præficiendo (4). Solebat autem legatio legionis post præturam suscipi, ita ut qui extra solitum ante præturam legioni essent præfecti et ipsi prætores quodammodo destinarentur (5). At multo magis consentaneum erat eosdem inter prætorios adlegere, quod quidem Neroni in animum potius venisset, si jam eo tempore jus adlegendi principi extra censuram competivisset. Accedit quod qui a Claudio vel a Vespasiano adlecti memorantur dicuntur sæpissime intra censuram eorum adlecti fuisse. Habemus enim, ut accuratius loquamur, titulos talis adlectionis exempla referentes

(1) *Staatsr.*, II, p. 906-907.
(2) *Tib.*, 35.
(3) Boor, *Fasti censorii.*
(4) *Ann.*, XIV, 28.
(5) Marquardt, *Staatsverw.*, II, p. 443, n. 3. Vide quoque exemplum Plotii Grypi qui, postquam legioni, nondum prætorius, præfectus fuerat, ad præturam promotus est. Appendix, n° 7.

undecim (1), ex quibus sex adlegentis principis censuram memorant (2), si modo omnis adlectio quæ ad Vespasianum Titumque simul refertur non potest nisi ab eisdem in censura collegis decreta fuisse (3). Quod si tamen mentio censuræ, qualicumque modo facta, sæpius est prætermissa, facile intelligitur parvi interfuisse rem omnibus cognitam ita diligenter conscribi. Atque unum exemplum suppetit hominis a Vespasiano ante censuram in senatum adsciti, Plotii scilicet Grypi, quem suspicamur inter tribunicios relatum fuisse; at nemo mirabitur aliquid de lege in medio civilis belli tumultu derogatum fuisse (4).

Vespasianus et Titus postremi censuram gesserunt. Domitianus censoriam potestatem censorisque perpetui nomen suscepit (5). Inde qui principes facti sunt, omisso censoris nomine, censoria jura retinuere ut, ex Domitiani principatu, jus adlegendi fuerit cum principatu conjunctum, et licuerit principibus quo tempore vellent adlegere. Itaque ad illam ætatem potius quam ad principatum qualis ab Augusto conditus fuerat referendum est quod apud Cassium Dionem legimus de facultate principis ad libitum e senatu movendi *et in senatum legendi* (6). Apparet igitur ex eo tempore expugnatum fuisse munimentum quo libertas senatus adversus principis libidinem aliquantulum adhuc tegebatur, meritoque dicimus, — etsi mirum forte nonnullis visurum sit, — sublato modo quem Augustus in legendo senatu sibi statuerat, quemque pessimi Juliæ gentis imperatores servaverant, omnia inde a felicissimo Nervæ et Trajani principatu fuisse in unius dominationem magis ac magis redacta.

(1) Appendix, 3, 4, 5, 8. 9, 10, 11, 12, 13, 14, 17. Incertum est an L. Bæbius Avitus, qui in titulo nº 17 memoratur, a Vepasiano vel postea adlectus fuerit.

(2) Appendix, 3, 4, 8, 9, 10, 11.

(3) Appendix, 8, 9, 10, 11.

(4) Appendix, nº 7.

(5) Boor, *Fasti censorii*, p. 100. Eckhel, *D. N. V.*, VI, p. 395, 396.

(6) LIII, 17.

CAPUT TERTIUM.

QUID ADLECTIO AD SUPPLENDUM SENATUM CONTULERIT.

Exploratum habemus quid in illo adlegendi jure ad principis potentiam amplificandam conduceret. Explorandum nunc et altius inspiciendum quid ex hoc ad rei publicæ utilitatem redundaret. Jam apparuit quanto major inde ad senatoria munera obeunda hominum delectus pararetur. Item ad magistratus capessendos plures suppetebant, eratque illud haud parvi momenti, siquidem ita de magistratibus institutum fuisse comperimus ut vix tot peterent quot legi deberent. Cum enim, ut exemplum afferamus, prætores aliquando duodeviginti fierent, sexdecim tantum quotannis ædiliciis et tribuniciis factis, opportunum erat si adlecti inter tribunicios numerum candidatorum supplevissent vel auxissent. Quid quod nonnunquam accidebat ut in iis qui jure peterent unus aut alter esset fato interceptus? At multo majora etiam adlectionis utilitas complectebatur.

Mirum est, et libera re publica plane inauditum quantum, inde ab Augusti temporibus, Romani cœperint a senatoriis dignitatibus abhorrere. Ita enim conciderant animi ut umbratilem vitam homines quærerent potius quam in splendido ancipitique loco versarentur. Quas ob causas obtusa jacuerit antiqua virtus est ab sagacissimis morum investigatoribus explanatum (1). Nempe, cum per duo sæcula « quidquid extremum in libertate esset vetus ætas vidisset, » bella, cædes, publicas privatasque calamitates, indefessum rerum et hominum motum æstumque, placebat, pacata tandem re publica, optatam quietem arripere, qua alacritate olim pericula et procellæ poscebantur. Qui autem publicis negotiis ita valedixerant ut unius arbitrio omnia committerent, necesse erat ut publicos quoque honores aversarentur. Accedebant præterea philosophorum sententiæ, sive ex Zenonis, sive ex Epicuri doc-

(1) Vide præsertim Constant Martha, *Les Moralistes sous l'Empire romain.*

trina excerptæ, nil præstabilius esse, quam si homines, externarum rerum incuriosi, sibi ipsis unice consulerent, eo scilicet consilio ut feliciores vel meliores evaderent. Utraque enim secta, apud Romanos his temporibus florentissima, diversa via ad otium mittebat (1), usque adeo omnes, vel adversa sentientes, eo tendebant. Quæ tamen causæ, ut ex morum animadversione deductæ, nihil forsan habere videbuntur quod satis definitum certumque sit. Ecce autem alia quæ ad rem magis pertinent. Etsi enim senatorii magistratus haud ita despecti jacerent, utpote qui viam struerent ad maxima belli domique munera, tamen multum oneris, multum etiam periculi ferebant, licebatque præterea ad rem publicam administrandam alia ratione et commodius et tutius grassari. Notum est quo odio mali principes senatum habuerint ita ut sæpissime, cum provinciæ, Italia, Urbs quiescerent, senatores non desinerent fortunis capitique metuere, eo magis principis invidiæ obnoxii quo familiarius cum eo versabantur. Quippe offendebat etsi obscuratus tanti nominis splendor residuaque umbra majestatis, neque ab suspicione prorsus aberant veterem rerum statum desiderandi quibus novus ille ab Augusto conditus talem cladem importavisset. Adde impensas quas qui magistratus petebant suscipiebant, cum consules, prætores, ædiles ludos edere cogerentur, tanto luxu ut in his partem fortunarum suarum consumerent. Neque licebat, ut olim, provincias expilando exhaustas opes recreare, — cautum enim erat ne insolentius exspatiaretur proconsulum proprætorumque avaritia, — neque ipsa negotiandi facultas, libertatis temporibus præclusa, nunc magis dabatur, neque magistratuum dignitas pro sumptuum profusione et pro periculorum magnitudine erat. Qui contra equestre curriculum erant ingressi, ita non cogebantur pecunias profligare ut stipendia et ea quidem sæpe maxima acciperent (2), cumque essent ad nutum principis, nihil erat cur in suspicionem apud eum aut invidiam venirent. Ceterum satis manifestum est ideo tantum in equestrem ordinem imperii partem fuisse inclinatam, ut esset aliquid in re publica quo senatorius ordo pensaretur. Clarissima igitur equestria munera senatoriis magistratibus paria habebantur, quodque ad præfecturas attinet, haud scio an quisquam post principem plus quam præfectus Ægypti vel certe præfectus prætorii valuerit.

Quæ cum ita sint, multi, vel senatorio genere, latum clavum

(1) Verba sunt Senecæ, *De otio*, 3.

(2) Senatores quoque stipendia accipiebant cum proconsulatum vel legationem gererent, at magistratus gratis gerebantur.

pro angusto clavo mutabant. Exemplum illustre præbet Annæus Mela, Senecæ philosophi frater, de quo Tacitus, senatoriæ dignitatis tenacissimus, non sine quadam verborum acerbitate : « petitione honorum abstinuerat, per ambitionem præposteram, ut eques romanus consularibus potentia æquaretur; simul adquirendæ pecuniæ brevius iter credebat per procurationes administrandis principis negotiis » (1). Idem alio loco Cornelium Fuscum memorat, procuratorem claris natalibus, « qui prima juventa, quietis cupidine, senatorium ordinem exuerat » (2). Addendus his ipse Vespasianus qui, ut latum clavum appeteret, compelli non nisi a matre potuit (3). Inde sequebatur ut principibus, in supplendo senatu, hominum inertia potius quam ambitio impedimento esset. Quibus artibus inviti compellerentur apud auctores sæpius traditur. Apud Cassium Dionem legimus Augustum, pluribus paupertatem excusantibus ne ædilitate onerarentur pecunias largitum fuisse (4), quod quidem et ab aliis principibus postea factitatum fuit (5). Idem quoque dicitur, deficientibus tribunis, nunc quæstorios sortitus fuisse, modo quadragesimum annum nondum attigissent (6), nunc equites legisse, hoc tamen concesso ut, exacto magistratus anno, in utro vellent ordine manerent (7). Jam prius invenimus illud etiam fuisse vigintiviris concessum (8). Claudius vim adhibuit. Nempe senatoriam dignitatem recusantibus equestrem quoque ademit (9), cumque Surdinius quidam Gallus, deserta curia, Carthaginem migrasset, celeriter eum revocavit aureisque se eum compedibus ligaturum dixit (10). Posterioribus temporibus minor esse videtur numerus senatorios honores detrectantium, ob eam sane causam quia, feliciori ætate, plus securitatis, plus etiam dignitatis haberent. Tamen apud Plinium minorem legimus de Minicio Macrino, Brixiano, equestris ordinis in sua civitate principe, quia nihil altius appetiverit. « Adlectus enim a divo Vespasiano inter prætorios, honestam quietem huic nostræ ambitioni dicam an dignitati constantissime prætulit (11). » Titulus

(1) *Ann.*, XVI, 17.
(2) *Hist.*, II, 86.
(3) Suet., *Vespas.*, 2.
(4) LIII, 2. Cf. LIV, 17; LV, 13.
(5) Tac., *Ann.*, I, 75; II, 37. Spart., *Hadrian.*, 7.
(6) Cass. Dio, LIV, 26.
(7) Suet., *Aug.*, 40.
(8) Cass. Dio, *l. c.*
(9) Suet., *Claud.*, 24.
(10) Cass. Dio, LX, 29.
(11) Appendix, n° 16.

quoque exstat magistratus cujusdam Viennensis cui « *divos Hadrianus latum clavum cum quæstura optulit et petentis excusationem accepit* » (1). At his temporibus cautum erat ne senatores unquam deficerent. Licebat enim principi ex equestri ordine in senatum sicubi vellet adlegere, neque adeo alienati erant a senatoria dignitate animi ut non satis multos inveniret qui, suadente vel etiam cogente principe, libenter e mediocri loco unde orti essent ad splendidissimum in re publica ordinem emergerent.

Erit illud ex titulis nostris manifestum. Quos si perlustraverimus, apparebit duo esse adlectorum genera, qui senatorio loco orti erant, vel senatorio magistratu functi, et qui ex equestri loco erant ad senatoriam dignitatem provecti. De senatoribus pauca quæ dicenda sunt pridem diximus (2). Ad equites nunc transgredimur, quos et ipsos in duo genera distribuimus, seu quis equestri munere vel militia functus esset, sive tantum in municipalibus honoribus esset versatus. Quos quidem ideo seponimus quia adlectio eorum videtur aliquid peculiare habuisse, utpote quæ sit cum propagatione civitatis romanæ per orbem terrarum conjuncta. Exhausto enim antiquo illo senatorio ordine, per municipia, non modo Italiæ, sed provinciarum quærebantur qui tali inopiæ subvenirent. Non quod ignoremus alteram hanc distributionem aliquantulum claudicare. Qui enim procurationes gerendo vel in militiis merendo principis benevolentiam sibi conciliaverant, ii quoque poterant esse ex municipiis oriundi. At cum fuerint jam ante adlectionem in media rei publicæ luce versati, ab ceteris merito distinguuntur, omisso etiam quod plerumque de origine eorum siletur. Ceterum, si quis traditur e municipio ortus fuisse vel etiam municipales honores equestribus muneribus adjunxisse, id memorare nunquam neglegimus.

Longum sane arduumque opus foret, idemque a proposito nostro alienum, explicare quid in equestri ordine Augustus novum instituerit. Illud modo notandum est ejus instituta eo pertinuisse ut discrimen inter ordines magis ac magis appareret, equesterque ordo certioribus etiam quam antea finibus esset a senatorio ordine divisus. At, in ipso equestri ordine, equites alii ab aliis discernebantur, prout quisque opibus vel dignitate magis pollebat, ceterisque omnibus antecellebant qui principis procurationes susceperant. Erat ea equestris nobilitas, ut apud Tacitum invenimus(3),

(1) Appendix, n° 32.
(2) Vide hujusce partis caput primum, p. 80-81.
(3) *Agric.*, 4.

cumque esset senatoriæ nobilitati proxima plurimi inde in senatum a principibus adlegebantur. Procuratores autem in quattuor ordines pro procurationis dignitate distribuebantur, eratque eis stipendii summa pro procurationis dignitate constituta, ita ut alii trecenta millia sestertium, alii ducenta, alii centum millia, alii sexaginta acciperent, ideoque dicerentur trecenarii, vel ducenarii, vel centenarii, vel sexagenarii. Unde in opinionem inducimur solitum fuisse adlectionem in senatum eo honestiorem decerni quo quisque honestiorem inter procuratores locum obtinuisset. At nihil certum de hoc ponere possumus. Suum enim cuique in procurationum ordine locum tribuere haud ita facile est, cum in equestri curriculo principis arbitrium multo plus quam in senatorio valuerit, cumque præterea, mutatis temporibus, nonnulla in eodem curriculo fuissent mutata. Itaque, qui id postremus aggressus est, Hirschfeldius, procuratorum ordines adumbravit potius quam certis lineamentis descripsit (1). Præterea manifestum est nihil obstitisse quin princeps procuratores cujuscumque ordinis in senatum quocumque loco libuisset adlegeret.

Procuratores in quæstoriorum ordinem adlectos nullos invenimus, ob eam sane causam quod procuratores infimi ordinis nimis infra senatum jacebant, qui vero in gradus superiores erant promoti, ætate maturiores, vel dignitate eminentiores reputabantur quam qui in curia imo loco sederent (2).

(1) *Untersuch.*, *Die procuratorische Carrière*, p. 240-280.

(2) Hic iterum occurrit notabile M. Statii Prisci exemplum, qui, post militias equestres, et procurationem vicesimæ hereditatium provinciarum Narbonensis et Aquitanicæ, senatorios honores, non per adlectionem, sed per quæsturam gestam, ingressus, in illo curriculo diu et præclare versatus est. (*C. I. L.*, VI, 1523. Cf. III, 940, 1061, 1299, 1416. Capitol., *M. Anton. Philos.*, 9. *Verus*, 7. Ceterum procuratio ea haud ita splendida erat, utpote quæ ante procurationem Neaspoleos et Mausolei Alexandriæ gereretur (Vid. Boissieu, *Inscriptions de Lyon*, p. 246. Allmer, *Revue épigraphique du midi de la France*, p. 47, n° 68), quæ inter procurationes non infimas quidem, sed mediocris dignitatis, inter centenarias videlicet, locum habebat (Vid. Hirschfeld, *Untersuch.*, p. 263). Memorandus quoque L. Æmilius Arcanus qui, post iteratos tribunatus, omnesque honores in colonia Narbonensi gestos, « *adlectus in amplissimum ordinem* » ab imperatore Hadriano, sevir, curio, quæstor, tribunus plebis, prætor factus est (Appendix, n° 31). Qui ita post militias equestres vel procurationes etiam gestas, sive adlecti in ordinem senatorium, sive non adlecti, quæsturam continuo adipiscebantur, ii sane erant principis beneficio vigintiviratu gerendo soluti. Cf. quoque titulum apud Orellium, 3440 : « *T(ito) Rutilio Varo trib(uno) mil(itum) leg(ionis) V Macedonic(æ), præf(ecto) alæ Bos(tranorum), q(uæstori) divi Vespasiani, æd(ili) cur(uli), com(iti) Imperato(ris), patrono d(e)d(icavit).* » Nolæ.

Adlectus inter tribunicios ab imperatore Commodo (?) occurrit Ti. Claudius Candidus, procurator vicesimæ hereditatium per Gallias Lugdunensem et Belgicam, et utramque Germaniam (1). Procuratio Belgicæ et utriusque Germaniæ erat honestissima neque, ut videtur, infra ducenarias sita (2), unde satis apparet procurationem vicesimæ hereditatium quæ, præter has supra dictas provincias, Lugdunensem quoque complectebatur, non esse inter infimas annumerandam.

Adlecti inter prætorios sunt :

Ab imperatore Vespasiano (?), L. Bæbius Avitus, procurator provinciæ Lusitaniæ (3). Procurationem Lusitaniæ centenariam fuisse Hirschfeldius opinatur (4).

Ab imperatore Antonino Pio aliquis sine nomine de quo vide infra (5).

Ab imperatore M. Aurelio vel a Commodo, M. Macrinius Avitus, procurator provinciæ Daciæ Malvensis (6). De procuratione ea nihil certum traditur. At videtur fuisse mediocris.

Ab alterutro quoque Quinctilius (?), ab epistulis latinis, atque antea procurator summarum rationum, etc. (7) Procurationes ab epistulis et summarum rationum erant trecenariæ, id est splendidissimæ (8).

Ab imperatore Septimio Severo (?), Sex. Varius Marcellus, procurator rationis privatæ trecenarius, ac deinde vice præfectorum prætorio et urbi functus (9).

Procuratoris adlectionem inter consulares nullam invenimus, sive quod exempla forte exciderint, sive quod consularis dignitas nimis præclara visa sit quam ut procuratoribus potuerit decerni. Animadvertimus quoque eos qui ex equestribus muneribus in senatum erant translati fuisse in equestri curriculo interceptos, nedum ad summa equestria munera pervenissent.

Vid. Henzen : *Intorno ad una lapide onoraria latina. Annal. dell' Instit. di Corrisp. archeol.*, 1873, p. 137.

(1) Appendix, n° 44.

(2) Hirschfeld, *Untersuch.*, p. 260, n. 6.

(3) Appendix, n° 17.

(4) *Untersuch.*, p. 261, n. 1.

(5) P. 112, n. 1.

(6) Appendix, n° 41.

(7) De equestribus muneribus quæ antea gessit vide titulum ejus, Appendix, n° 42.

(8) Hirschfeld, *Untersuch.*, p. 259, 260.

(9) De equestribus muneribus quæ antea gessit vide titulum ejus, Appendix, n° 52.

Etenim, supra procurationes eminebant præfecturæ vigilum, annonæ, Ægypti, prætorii, quas qui ordine adepti erant omne iter erant emensi et ad equestris dignitatis fastigium provecti. Nemo autem præfectus vigilum, vel annonæ, vel Ægypti videtur in senatum adlectus fuisse. Ob eam causam opinatur Hirschfeldius quia curules magistratus talibus muneribus non erant præstantiores (1). Esto quidem, quanquam dubito num præfecturæ vigilum et annonæ essent supra procurationem summarum rationum vel rei privatæ positæ. At certe licebat præfectos omnis ordinis inter consulares referri, sicut de præfectis prætorii mos invaluerat (2). Quod si illud vel nunquam, vel raro certe factum fuit, ea forte causa est quia qui præfecturam aliquam gesserant præfecturæ eminentiori destinati videbantur. Præfecti tantum prætorii, cum nihil ultra possent appetere, solebant inter consulares adlegi, de quo amplius alias disseruimus, atque etiam docuimus illud potius ob alienatam principis voluntatem decerni, cum ita e summis opibus maximisque rebus administrandis essent submoti et in honestum otium translati (3). Neque mehercule ipsi præfecto Ægypti tanti erat regalem potestatem quam obtinebat cum inani dignitatis urbanæ apparatu mutare. Ceterum distinguendum est quid potestatis equestria munera, quid dignitatis conferrent, quam si unice spectaverimus, ipsa præfectura prætorii consulatui impar videbitur. Argumento est quæ apud Ulpianum agitatur controversia, an vir præfectorius consulari feminæ præferatur. Putat Ulpianus eum præferri, ob hanc modo causam « quia major dignitas est in sexu virili (4). »

Procuratores quos ex procuratione in senatum adlectos supra memoravimus, erant omnes, praeter Quinctilium et Varium Marcellum, equestribus militiis antea functi. Institutum enim erat

(1) *Untersuch.*, p. 246. Notandus tamen ἀνωνύμου cujusdam titulus ab Allmero restitutus (Appendix, nº 33). Cujus si conjectura rata est, fuit is, post procurationem provinciæ Lugdunensis, sive provinciarum duarum Aquitanicæ et Lugdunensis, præfectus annonæ ac deinde Ægypti factus, antequam esset ab imperatore Antonino Pio inter prætorios adlectus. Verum possumus pro his verbis « *præfecto Ægypti*, *præfecto annonæ* » ab Allmero excogitatis hæc alia « *procuratori summarum rationum*, » vel « *rei privatæ* » vel « *ab epistulis latinis*, » etc., pari jure ponere, cum præsertim ita ceterorum exemplorum auctoritatem sequamur. Itaque præstabit hunc inter eos referre qui post procurationem trecenariam gestam in prætoriorum ordinem adsumpti fuisse traduntur.

(2) Vid. p. 63-66.

(3) *Ibid.*

(4) *Dig.*, I, 9, 1.

ut plerumque per equestres militias via ad procurationes gerendas strueretur (1). At inveniuntur qui ex equestribus militiis, nulla procuratione gesta, in senatum continuo transferuntur, unde apparet moris quoque fuisse ut ex exercitu sumerentur qui senatorum numerum explerent. Eosdem habes hic infra ordine digestos.

Ex præfectura cohortis adlecti sunt : Atilius Pecullus (?) inter prætorios ab imperatore Vespasiano (2).

Aliquis cujus nomen deest, in amplissimum ordinem adsumptus, ante annos 102-107 (?) (3).

Ex tribunatu militum adlecti sunt (4) :

Ti. Claudius Quartinus, in amplissimum ordinem ab imperatore Trajano (5). L. Æmilius Arcanus, in amplissimum ordinem ab imperatore Hadriano (6). Fuit is quidem post iteratos tribunatus et ante adlectionem omnibus honoribus in colonia sua functus. Quare minus ad rem pertinet. T. Flavius Secundus Philippianus, inter quæstorios, ineunte Septimii Severi principatu vel aliquot annis ante (7). Maximinus, qui postea imperator fuit, latoclavo ornatus ab imperatore Alexandro Severo (8).

Consius Quartus inter quæstorios (?) (9). Ignotus aliquis, inter quæstorios (10). Neque prætereundus tribunus ille militum, Antigonus, Philippi filius, Macedo, quem ob originem, nomina et singularem artem in equitando, imperator Caracalla reliquis militiæ gradibus ornavit : « ταῖς λοιπαῖς στρατείαις ἐσέμνυνε, » ac deinde inter prætorios adlegit (11). Quare videtur is ex præfectura alæ adlectus fuisse, cum præfectura alæ sæpius post tribunatum gereretur (12) essetque ideo præstantior. Cur autem pluralis numerus a Dione adhibitus sit haud ita facile perspicitur, cum nihilo conduceret eundem præfectura cohortis donari, quæ sæpius gerebatur ante tribunatum (13).

(1) Hirschfeld, *Untersuch.*, p. 247.

(2) Appendix, n° 13.

(3) *Ibid.*, n° 17. De adlectione in amplissimum ordinem dicimus capite quinto.

(4) Omittuntur qui, cum ante tribunatum vigintiviratu functi sint, senatoriæ dignitati manifesto erant destinati.

(5) Appendix, n° 24.

(6) N° 31.

(7) N° 49.

(8) N° 62.

(9) N° 75.

(10) N° 78.

(11) N° 57.

(12) Marquardt, *Staatsverw.*, II, p. 366.

(13) *L. c.*

Præter hunc ex præfectura alæ adlecti sunt :

C. Fulvius Lupus Servilianus, inter prætorios, ab imperatore Vespasiano (1).

Lusius Quietus, inter prætorios, ab imperatore Trajano (2).

De P. Helvio Pertinace vix scimus quo loco dicendum sit. Procurationes enim et militias ita miscuit ut, post præfecturam alæ procuratione alimentorum functus, ac deinde ex præfecto classis procurator ducenarius factus, posteaque vexillis regendis adscitus, in senatum tandem, vel potius in senatorium ordinem ab imperatore M. Aurelio admissus fuerit. Parvum quidem præmium post tot merita et munera. Verum id ex injuria factum in vita ejus legimus, qua compensata, inter prætorios adlectus est (3).

Ceterum, etsi temerarium fortasse videatur ex hac exemplorum paucitate quicquam colligere quod in universum dictum sit, non possumus non animadvertere quo discrimine hinc præfecti cohortis tribunique legionum, illinc præfecti alæ habeantur. Hi enim inter prætorios plerumque adleguntur, illi tantummodo in senatorium ordinem vel inter quæstorios. Explicatio autem in promptu est reputantibus quo ordine militiæ equestres solerent capessi (4). Nihilque contra valet Pertinacis exemplum, de quo modo diximus, neque magis Atilii Peculli qui in tribunatu præfecturaque cohortis ex Claudii temporibus usque ad Vespasiani principatum consenuerat (5), ut debuerit eo celerius ad maximos honores evehi.

Res in quæstionem venit utrum homines quos recensuimus ex centurionibus vel ex gregariis ad equestres militias pervenissent, an continuo essent in eisdem inde a tirocinio versati. Certe non erant ii qui, senatorium gradum per militiam auspicantes, in castris præterirent potius quam commorarentur. Nulla enim in eorum titulis de vigintiviratu gesto mentio occurrit, satisque compertum habemus posse quidem aliquando equestres militias ab iis qui in senatorios honores se accingebant omitti, vigintiviratum nunquam posse (6) Quid quod futuri senatores debebant tribunatum legionis gessisse (7), suntque hic nonnulli qui eum nun-

(1) Appendix, nº 12.

(2) *Ibid.*, nº 22.

(3) Capitol., *Pertin.*, 2. Appendix, nº 38.

(4) Marquardt, *Staatsverw.*, II, p. 459.

(5) Appendix, nº 13.

(6) Momms., *Staatsr.*, I, p. 526-530. Vacatio vigintiviratus iis tantum concessa fuisse videtur qui ex equestribus muneribus ad senatorios honores transferebantur. Vide p. 110, n. 2.

(7) Momms., *Staatsr.*, I, p. 526-528.

quam gesserunt? De iteratis militiis nihil dicimus, quandoquidem iterantur quoque in titulis adulescentium qui senatui destinantur. Notanda tamen hic quoque quam modo notavimus Atilii Peculli stipendiorum diuturnitas. Erant igitur hi omnes rem militarem vere amplexi. Quod vero ad originem pertinet, dubium est eos qui ante tertium sæculum memorantur in infimis militiæ gradibus unquam collocatos fuisse. Quippe talis erat apud Romanos domi bellique erga nobiliores reverentia ut equestri genere homines militiam inde a tribunatu præfecturisque ingrederentur, nedum inter gregarios rudimenta discerent (1). Illud modo nonnullis dabatur, vel potius exigebatur ab iis, ut in spem equestrium militiarum procurationumque ordines aliquantisper ducerent vitemque ferrent. Quare, deposita interim equestri dignitate, intermissi equites vocabantur (2). Ad hos pertinere videtur Cassii Dionis in oratione Mæcenatis ad Augustum locus : « Jam si quis eques multa negotia obeundo ita clarus evaserit ut dignus sit qui in senatum recipiatur, id ætas ejus quominus fiat impedire nullo modo debet. Immo legantur *ex iis* nonnulli, etiamsi centuriones in legionibus fuerint (3), modo ne inter gregarios stipendia meruerint. Quippe turpe ac probrosum foret eos in senatorum numero haberi qui aliquando storeas ac corbes gestavissent ; at ex iis qui centuriones fuere nihil obstat quin præstantissimi in senatum referantur (4). » Scilicet infra centuriones vetitum erat senatores sumere, ea quidem condicione facta ut qui ex centurionibus legerentur equestri genere essent. Opinatur Marquardtius (5) nondum ineunte principatus ætate usum invaluisse ex centurionibus senatum supplendi, at Dionem, sicut in eadem oratione alias plerumque, hic quoque tempora permiscuisse, neque tam Augusti quam posteriorum æqualiumque ipsius de re publica ordinanda rationem exposuisse. Neque illud quidem nos negaverimus, cum præsertim notum sit qua severitate senatum Augustus

(1) Vide de hoc Madvig, *Kleine philologische Schriften : Die Römischen Officiere*, p. 477-560.

(2) Stat., *Silv.*, V, 1, 94. *C. I. L.*, III, 1480. Orell. Henzen, 3733, 6772, « *centurio ex equite romano.* » Vid. Madvig, *o. c.*, p. 540. Marquardt, *Staatsverw.*, II, p. 367.

(3) *Ex iis*, id est ex equitibus. — « ἐν τοῖς πολιτικοῖς στρατοπέδοις, » nempe in legionibus, quæ quidem erant ex civibus collectæ.

(4) LII, 25.

(5) *Staatsverw.*, II, p. 336, n. 1. Cf. Madvig, *o. c.*, p. 552, etc. Friedlænder, *Sittengesch.*, I, p. 211. Is primos centuriones quos sciamus postea senatores factos citat P. Helvium Pertinacem et Pescennium Nigrum.

legerit, in deformem et inconditam turbam ab Cæsare et triumviris redactum (1). In hoc tantum Marquardtio consentire nequimus de *intermissis equitibus* Dionem locutum esse, si ad sua tempora respexerit. Etenim centurionatus vel saltem primipilatus inde ab Septimio Severo inter equestres militias adnumerabatur (2), ut equites qui eo fungebantur nullo modo deberent angustum clavum exuere, neque præterea tituli quos supra attulimus (3) sunt Severi ætate recentiores.

(1) Cass. Dio, LII, 42; LIV, 13, 14; LV, 13.

(2) Rénier, *Mélanges d'épigraphie*, p. 239. Hirschfeld, *Untersuch.*, p. 249 et n. 3.

(3) P. 115, n. 2.

CAPUT QUARTUM.

QUID ADLECTIO AD PROPAGANDAM CIVITATEM CONTULERIT.

Supersunt qui memorantur in senatum ex municipiis adlecti fuisse. Cum vero de his ita ampla materies proponatur ut, si omnia quæ dicenda sunt dicere voluerimus, novam commentationem instituere opus fuerit, licebit ea diligentius persequi quæ ad inceptum præsertim pertinent, satisque videbitur, ubi occasio data erit, quo quæstio magis ac magis pateat breviter ostendere.

Nempe, si res romanas ab initio prope Urbis usque ad absolutum auctum ejus uno conspectu intuemur, apparet id imprimis dignum esse ad quod intenti respiciamus, scilicet qua ratione civitas, e parvis incrementis ad orbis imperium promota, diversissimas gentes ita sibi paulatim devinxerit ut in unum quasi corpus omnes tandem coaluerint. In historiis legimus quanto labore singuli Italici populi in communionem civitatis sive irruperint, sive fuerint admissi. Cum vero Italia omnis, extremis libertatis temporibus, integra civitate frueretur, majus aliquid Cæsar dictator aggressus est, ut provincias quoque in civitatem conciliaret, quod opus, ab sequentibus imperatoribus nunquam intermissum, post duo fere sæcula perfectum invenimus. Quibus artibus illud fuerit evictum inquirant alii. Nos tantæ quæstionis particulam modo exploramus, vel potius attingimus. Quæ enim gentes in civitatem receptæ erant, eæ quoque in senatum admittebantur, ita ut senatorius ordo, urbanus primo, deinde Italicus, postremo universus factus fuerit (1). Nostrum est nunc explanare quid ad illud efficiendum jus principum in senatum adlegendi contulerit.

Quantum autem oportuerit ut principes peculiari quodam jure

(1) « Caput imperii et decora omnium provinciarum. » Tac., *Hist.*, I, 84.

instructi essent novos homines in senatum adsciscendi, jam inde apparet quod ii, non nisi repugnante senatu, admitterentur. Ea est enim insita nobilitati cuicumque animi superbia ut ægre ferat quos dudum obtinuit honores cum aliis dividi. Quid quod apud antiquas gentes contumacior erat in peregrinos contemptus? Ne tamen vetustiora repetamus, documento sint Ciceronis verba, quo tempore senatus fere totus erat ex Italia arcessitus : « Videte quam despiciamur omnes qui sumus e municipiis, id est omnes plane : quotus enim quisque non est? » (1) Atque ii ipsi qui talia nobilium fastidia passi erant, ita mox nobilibus consentiebant ut non alio essent erga ceteros animo. Deprehendimus enim etiam Claudio imperante invidiosum fuisse Transpadanos, qui civitatem a Julio Cæsare acceperant, in senatum aditum habere (2). Quod si homines ex Italicis municipiis oriundi ita habebantur, facile intelligitur quantuli fieret quicumque esset ex provinciis ortus. De jocis et conviciis quæ in senatores a Cæsare creatos ingerebantur nihil dicimus (3), at neminem latet quid postea de primoribus Galliæ in consortium honorum recipiendis senatus senserit (4), idque etiam notandum est non ante Caracallæ tempora Ægyptiis curiam patuisse (5). Principum erat igitur, abstinente vel reluctante senatu, externis gentibus senatum aperire, ad quod enitendum cum rei publicæ, tum ipsorum utilitate incitabantur.

Ita enim antiqua nobilitas conciderat ut non amplius ad supplendum senatum sufficeret, opusque esset novas aliunde opes novumque quasi sanguinem haurire. Jam ante Augustum plurimæ gentes inter bella civilia perierant, neque pacata res publica fuit residuæ parti clementior quam turbulenta fuerat. De exstinctis primo post Ch. n. sæculo nobilissimis gentibus illud quidem satis fidem facit quod ex eo tempore nusquam fere in Romanorum annalibus præclarissima nomina occurrunt quæ tanto olim splendore refulserant (6). Quomodo singulæ familiæ occiderint non est traditum, at licet causas generaliter suspicari, quarum præcipuas jam antea memoravimus. Primo paupertas gliscebat, cum luxuria peculatu non aleretur, multique inde illustri loco, quia censum supplere nequiverant, in vulgus ignobile detrude-

(1) *Philipp.*, III, 6.
(2) Tacit., *Ann.*, XI, 23.
(3) Suet., *Cæs.*, 76, 80.
(4) Tacit., *l. c.*
(5) Cass. Dio, LI, 17 ; LXXVI, 5.
(6) Vid. Willems, *Sénat*, I, p. 618-625.

bantur, sicut apud Tacitum narratur de illo Hortensii oratoris nepote qui, cum esset olim Augusti liberalitate recreatus, ad pudendam inopiam iterum delapsus, misericordiam Tiberii frustra efflagitavit (1). Triste quidem tantæ domus exitium, idemque documentum quo multa alia illustrantur. Accedebat principum in nobilissimos Romanorum sævitia. Offendebat enim antiqui nominis splendor, tanquam aliquid de majestate ipsorum detraheretur, neque præterea a suspicione aberant veterem rerum statum desiderandi quibus novus ille tantam cladem importavisset. Itaque non modo publica utilitas poscebat ut hominum inopiæ subsidium quæreretur, verum illud quoque erat cum principum utilitate conjunctum, siquidem nobilitas recentior et ab ipsis creata necessario erat beneficii memoria obstricta, neque ullo desiderio impellebatur ut libertatem restitueret. Fuit illud a Cassio Dione optime perspectum, cum Mæcenatem induxit suadentem Augusto ut ea ratione omnium sibi conciliaret animos (2).

Quid novorum hominum in senatum adlectio sive principi, sive rei publicæ proficeret, nunquam magis quam Vespasiani et Titi censura manifestum fuit. Adlectorum quidem ex municipiis a Claudio censore duo tituli occurrunt, alter Vicetini cujusdam (3), alter Coræ repertus, verum is corruptus (4). Ceterum si reputare voluerimus quo animo Claudius senatum legerit, haud dubium erit quin plures pari origine in senatum arcessiverit. At censura a Vespasiano et Tito, in magno rerum discrimine, post familiæ Juliæ occasum, suscepta, et multo operosior et multo felicior fuit. Quippe cum antiquum magistratum, diu desuetum, recrearent et ipsi usurparent, satis aperte denuntiabant quantum sibi opus instaurandum proponerent, haud absimile prorsus ab illo quod sibi Augustus olim proposuerat. Convulsam enim tot et tantis casibus rem publicam opus erat denuo in meliorem firmioremque statum restituere, idque imprimis intererat ut amplissimi ordines, quibus omnis stabat, veterem dignitatem et splendorem resumerent. Inter quos senatus præcipue, non modo supplendus, sed etiam purgandus erat, quippe qui, ut apud Suetonium traditur, veteri negligentia esset contaminatus (5). Quid in legendo senatu neglectum fuisset parum definitum est, at

(1) *Ann.*, II, 37, 38.
(2) LII, 19.
(3) Appendix, n° 3.
(4) *Ibid.*, n° 4.
(5) *Vespas.*, 9.

videtur Suetonius ad homines sive omni dedecore pollutos, sive potius infimo loco ortos, vel, ut aliquid certius ponamus, libertino genere allusisse. Satis enim constat quantum ante Vespasianum principes libertinorum ordinem extulerint, tanquam ex eo subsidium adversus senatoriam nobilitatem petere in animo habuissent. Quare is ordo ita se senatui inseruerat ut, si Tacito crediderimus, Neronis temporibus, plerique senatores non aliunde originem traherent (1). At, cum neque meritis in rem publicam, neque morum sanctitate originis labem delevissent dignosque tanta fortuna se præstitissent, immo fuissent omnium in re publica cladium flagitiorumque adjutores atque aliquando etiam fautores auctoresque, cœperunt a Vespasiano e publicis officiis submoveri, eorumque in locum homines equestris ordinis magis ac magis substituti sunt. Cum præterea antiqua nobilitas, senio cladibusque extenuata sustinendo rerum publicarum oneri impar omnino fieret, duplici malo senatus laborabat, ad quod sanandum ita operam impendisse traditur a Suetonio Vespasianus : « Amplissimos ordines et exhaustos cæde varia et contaminatos veteri negligentia purgavit explevitque, recenso senatu et equite, submotis indignissimis, et honestissimo quoque Italicorum ac provincialium adlecto (2). » Item ex Aurelio Victore comperimus quam funditus supra dicti ordines fuerint a Vespasiano renovati : « Lectis undique optimis viris mille gentes compositæ, cum ducentas ægerrime reperisset, exstinctis sævitia tyrannorum plerisque (3). » Ambigi potuerit quid hoc verbo « gentes » significatum sit, nisi res esset docta commentatione nuper illustrata (4). Nempe liquet hoc verbum non fuisse pro gentibus patriciis usurpatum. Etenim, præterquam quod quæ proprie gentes dicebantur jampridem in oblivionem venerant, patricios quidem Vespasianus creaverat (5), at, cum ideo tantum patricii esse deberent ne sacerdotia aliquot vacarent, is numerus multo major fuisset quam res postulasset. Neque res aliter se haberet si de familiis senatoriis a Vespasiano creatis tantummodo ageretur. Augustus enim senatores non ultra sexcentos esse voluerat (6), neque ulla causa est cur arbitremur hunc numerum postea auctum fuisse. Itaque opinio probabilis est

(1) *Ann.*, XIII, 27.
(2) *Vespas.*, 9.
(3) *De Cæs.*, 9.
(4) Duruy, *Histoire des Romains*, t. IV, p. 176, n. 2.
(5) Tacit., *Agric.*, 9. Capitol., *M. Anton. Philos.*, 1. Orell. Henzen, 773, 5447.
(6) Cass. Dio, LIV, 14.

Aurelium in universum locutum fuisse, gentesque omnes apud eum dici quæ fuerint sive inter patricias, sive inter senatorias, sive etiam inter equestres adsumptæ

Utcumque vero de hoc judicatum sit, id satis est, sive ex auctorum testimoniis, sive ex ipso rerum romanarum tenore perspicuum, quantæ vires languescenti rei publicæ inde affluxerint, ut merito Roma dici possit Vespasiani censura quasi recreata in longum temporis spatium resurrexisse. Inde enim orti principes qui imperium romanum labefactatum restituerunt et amplificaverunt; inde, quos tanti operis navandi socios et administros habuere. Quippe fuerat novus ille senatus in illa « severa et antiqui moris retinente Italia (1) educatus, quæ multum verecundiæ, frugalitatis, atque etiam rusticitatis antiquæ retinebat et servabat (2). » Ita Tacitus et Plinius. Atque alias iterum Tacitus : « Novi homines e municipiis et coloniis atque etiam provinciis in senatum crebro adsumpti, domesticam parsimoniam intulerunt, et, quanquam fortuna vel industria plerique pecuniosam ad senectam pervenirent, mansit tamen prior animus (3). » Intulere etiam hæc non minus desueta, laborem, rationem atque usum rerum publicarum gerendarum quem in municipalibus equestribusque muneribus didicerant (4). Cujus nobilitatis ipsa gens Flavia perfectissimum exemplar proponi potest, sicut antiquæ gens Julia et Claudia. Qui igitur, equestri genere, in municipio Reatino ortus, integerrimi procuratoris filius (5), integer ipse et strenuus, in summum rerum fastigium provectus, ab

(1) Tac., *Ann.*, XVI, 5.

(2) Plin., *Epist.*, I, 14.

(3) *Ann.*, III, 55.

(4) Hoc loco non possumus viro doctissimo de la Berge consentire, qui in opere inscripto, *Essai sur le règne de Trajan*, p. 86, 87, senatum illum ex provincialibus hominibus, duumviraliciis plerisque, collectum, minoris facit. Nempe in hoc errat quod quia senatus nihil in re publica valuerit, senatores quoque singulos imperitos fuisse arbitretur. At principes, simul cum senatum a re publica prohiberent, senatores ad eam pro parte virili accedere sinebant cogebantque. Quis porro, cum reputaverit in qua munerum varietate, prosperis Flaviorum et Antoninorum temporibus, senatores versarentur, arbitrari possit talem fuisse eorum imperitiam? Atqui, inter senatores, qui recreatæ et amplificatæ rei publicæ partem sibi cum Vespasiano, Trajano, Hadriano vindicant, multi erant e municipalibus honoribus arcessiti, sicut infra demonstramus, neque mehercule, cum plures annos magnam quamdam civitatem administrati essent, ita indocti maximas res capessebant. Quid quod nonnulli etiam procurationes vel militias equestres gesserant?

(5) Suet., *Vespas.*, 1.

prisco cultu et victu non desciverat (1), is debebat consimiles sui in fortunæ consortium vocare. Itaque merito dicimus, his temporibus, equestrem ordinem, ex municipiis evocatum, in principatum et in curiam irrupisse.

Pauci quidem innotuerunt ex tam multis qui ita ad rem publicam accesserunt, neque enim omnes recensemus quos scimus ex municipiis italicis vel provincialibus fuisse adsumptos. Eos tantum excerpimus quos certiores sumus in senatum per adlectionem venisse.

Adlecti in senatum ex municipiis italicis a Vespasiano et post Vespasianum occurrunt qui sequuntur :

C. Salvius Liberalis Nonius Bassus, adlectus ab imperatore Vespasiano inter tribunicios, ab eodem inter prætorios, quinquennalis IIII coloniæ Pollentiæ, ejusdem patronus (2).

T. Mustius Hostilius Fabricius Medulla Augurinus, adlectus inter tribunicios ab imperatore Nerva, municipalibus honoribus antea Patavii functus (3).

... Antonius (?) Vestinus Mallo Annius (?) vel Mallonius Romanus, adlectus inter quæstorios post primum sæculum tempore incerto, omnibus honoribus Viennæ functus (4).

De L. Æmilio Arcano supra diximus (5).

Sunt etiam qui honores municipales sive non memorantur gessisse, sive non gesserunt. Etsi enim magis æquum videretur homines in municipiorum rebus gerendis approbatos ad majorum rerum curam adhibere, tamen nihil obstabat quin princeps privatos quoque adlegeret. Jam duos Italicos a Claudio adlectos rettulimus (6) quorum neuter dicitur honoribus in municipio functus fuisse (7). Recurrit quoque locus ex Plinii minoris epistulis excerptus de familia quadam Brixiana : « Pater Minicius Macrinus, equestris ordinis princeps, quia nihil altius voluit. Adlectus a divo Vespasiano inter prætorios honestam quietem huic nostræ ambitioni dicam an dignitati prætulit (8). » Erat igitur ille homo

(1) Tac., *Ann.*, III, 55 : « Præcipuus adstricti moris auctor Vespasianus fuit, antiquo ipse cultu victuque. »

(2) Appendix, n° 9.

(3) *Ibid.*, n° 19.

(4) *Ibid.*, n° 71.

(5) Vid. p. 113.

(6) Vid. p. 119, n. 3 et 4.

(7) Illud quidem notandum est his temporibus minus verbosum in titulis sermonem adhiberi.

(8) Appendix, n° 16.

privatus inter equites spectatissimus. Nempe si non tam municipales honores quam urbanos otiosæ vitæ posthabuisset, de eisdem in epistula certe non sileretur ubi de totius familiæ dignitate fusius dicitur. Ceterum alia ejusmodi exempla inter adlectos ex provinciis suppetunt.

Quos ideo secernimus quia adlectio eorum ad propagationem civitatis pertinet. Nihil enim adeo mirum reputabatur si homines in curiam vocarentur ex Italicis municipiis orti. Provinciæ vero, etiam post constitutum principatum, extra civitatem erant, et si quis inter provinciales civitate fruebatur, is non ideo ad honores urbanos aditum habebat. Quemadmodum enim, in libera re publica, duæ civitatis species distinguebantur, altera cum suffragio, altera sine suffragio, ita, imperatorum ætate, cum, abolitis comitiis, jus suffragii nullum esset, et in hoc tantum jura publica constarent ut liceret honores adipisci, poterat civitas concedi truncata et privata, vel integra et cum jure honorum adipiscendorum, sive senatorum jure (1), conjuncta. Id satis ex Taciti loco apparet de primoribus Galliæ comatæ jus adipiscendorum in Urbe honorum a Claudio imperatore expetentibus, cum fœdera et civitatem pridem essent assecuti (2). Talis autem est nostra rerum antiquarum, vel etiam earum quæ maximi momenti sunt, inscitia, ut de hac majore et minore civitatis specie illud modo plane compertum sit utramque exstitisse. Arbitramur quidem plenam illam civitatem, cum in hoc tantum posita esset ut senatum patefaceret, potuisse hominibus equestris ordinis et in equestribus muneribus versatis non obtigisse, illudque eo magïs ratum videtur quod eadem libertinis hominibus competebant. Immo, exemplum affert Zumptius Arminii, ducis Germanorum, civitatem romanam equestremque dignitatem assecuti (3), quem tamen non credibile est honorificentius habitum quam principes fœderatorum Gallorum, civitatem pridem obtinentes, fuerant. Idem producit Cn. Julii Agricolæ avum, Forojuliensem, procuratorem Cæsaris, cujus genus, si antiquitate esset commendatum, extollere Tacitus, familiæ laudator, non abstinuisset. Cum autem neminem ultra eum petiverit, quasi is auctor nobilitatis haberetur, opinatur Zumptius hunc eundem, Augusti temporibus, condita colonia Forojuliensi, ex Gallis popularibus fuisse ascitum, civitate dona-

(1) Tac., *Ann.*, XI, 25 : « Primi Ædui *senatorum* in Urbe jus adepti sunt. »
(2) Tac., *Ann.*, XI, 23-26. De jure honorum vide A. W. Zumpt, *Studia Romana : De propagatione civitatis romanæ*, p. 321, etc.
(3) Vell. Paterc., II, 118.

tum, appellatumque Julium, atque inde industria ad procurationes pervenisse, filium postea Julium Græcinum, quem scimus in senatu eloquentia præstantem Caligulæ invidia oppressum periisse, inter eos fuisse quos Tiberius ex municipiis coloniisque in curiam introduxerit (1). Verum sunt conjectanea hæc et quæ opinionem supra positam probabilem magis quam probatam efficiant. Qua vero ratione civitas illa per provincias propagata fuerit non magis exploratum est. Existimamus nos moris fuisse jus honorum sive per senatusconsultum generi hominum, sive principis beneficio singulis donari. De jure honorum generi hominum per senatusconsultum decreto exemplum præbet Taciti locus modo laudatus (2). « Orationem principis secuto patrum consulto, primi Ædui senatorum in Urbe jus adepti sunt. » Quo quidem loco animadvertimus non de universis Æduis agi, verum de primoribus qui, in fœderato populo, civitatem illam minorem obtinebant. Optime enim Zumptius adnotavit Tacitum minus accurate, ob nimiam brevitatem, his verbis : « primores Galliæ quæ comata appellatur, fœdera et civitatem romanam pridem assecuti » dixisse, cum iidem non possent esse simul cives et fœderati, fœdusque præterea non uni et alteri sed universo populo daretur (3). Ceterum neque Ædui provinciam omnem suam amplectebantur, neque jus honorum videtur unquam, ob diversam civitatum condicionem, universæ provinciæ decretum fuisse. De jure honorum singulis decreto argumentum imprimis facit vetus Romanorum consuetudo principes populorum quos subegissent arctioribus sibi vinculis, id est civitate data, conciliandi. Atque hoc etiam imperatorum temporibus factitatum fuisse inter ceteros ejusdem Taciti locus demonstrat de Julio Floro, Treviro, et Julio Sacroviro, Æduo, in civitatem, Tiberio imperante, receptis, « cum id rarum nec nisi virtuti pretium esset (4). » Eratque ea civitas nonnunquam optimo jure, sicut ex exemplo hominis deprehendimus ad senatum provecti, quo tempore ejus civitas nondum in honorum consortium venerat. Valerium Asiaticum dicimus quem ex Claudii oratione in monumento lugdunensi asservata scimus ante in domum consulatum intulisse quam colonia ejus « *solidum civitatis romanæ beneficium* » consecuta sit (5). Quanquam ambigitur quid valeat *solidum illud civitatis romanæ beneficium*. De

(1) Zumpt, *o. c.*, p. 331. Vid. Tac., *Agric.*, 4. De iis qui a Tiberio in senatum introducti sunt vide infra.

(2) *Ann.*, XI, 25.

(3) *O. c.*, p. 327-330.

(4) *Ann.*, III, 40.

(5) Col., II, apud Nipperdæum. Taciti editio, p. 316.

jure honorum Claudium locutum esse Zumptius opinatur (1), at contendit Herzogus de jure italico, cum præsertim sciamus italicum jus, ex tempore quidem incerto, at certe Paulli jurisconsulti, id est Severorum ætate, Viennensibus competivisse; ceterum jus honorum iisdem non ante Claudii orationem fuisse decretum, aliter enim, si decretum fuisset, id Claudium significasse atque ipsum jus honorum diserte nominasse, omisso etiam quod talis senatusconsulti auctoritatem, si exstitisset, non temperasset quin invocaret Gallorum principibus patrocinando, neque satis habuisset singulorum hominum exempla attulisse; itaque senatores quos « ornatissima... colonia valentissimaque Viennensium... longo jam tempore » conferret principum gratia in senatum pervenisse, quemadmodum olim Balbi ex Hispania pervenissent, nedum opus fuerit senatusconsultum in universam civitatem facere, atque inde in usum vertisse ut, postquam primum unus ad honores aditum habuisset, alii quoque primores haberent (2). Cui argumentationi, etsi demum cum nostra sententia congruat, utpote quæ eo evadat, Valerium Asiaticum, ante datum civitati jus honorum, ad honores accessisse, illud tamen objicimus nihilo pertinuisse hoc loco de jure italico, id est de immunitate tributorum dicere, nisi fortasse, quod Zumptio placuit, jus Italicum fuerit his temporibus cum jure honorum ita conjunctum ut « quæ urbes juris Italici essent, eædem jus honorum haberent, sed non, quæ honorum jus, eædem immunitatem ac libertatem. » Neque illud credibile est, quo tempore civitas integra fuerit Æduis senatusconsulto confirmata, Viennensium unum et alterum debuisse eandem ex arbitrio principis expetere. Quare censemus de Viennensibus quoque, ante Claudii orationem, senatusconsultum factum fuisse, quod quidem verbis satis disertis Claudius significaverit « *solidum civitatis romanæ beneficium* » prædicando.

Quod si quis exempla plura vel certiora desideret, is reputet ignorare nos quo tempore quæque provincia vel civitas jus honorum adepta sit. Quæcumque enim de jure illo statuere vel conjicere possumus ex illa Claudii oratione carpimus quæ, non truncata modo, sed etiam in partibus quæ supersunt, obscurior nobis proponitur. Fiat igitur licentia pro veris verisimilia ponendi, ita ut rem, intactam adhuc fere et multæ operæ egentem, attingamus potius et designemus peritiorum studiis quam exploremus. Illud tamen satis credibile est, Tiberii et Caligulæ principatu jus

(1) *O. c.*, p. 333, etc.
(2) *Galliæ Narbonensis provinciæ romanæ historia*, p. 166-169.

honorum vix extra Italiæ fines processisse. Neque eo minus ita de Tiberio Claudius loquitur « Patruus Ti. Cæsar omnem florem *ubique* coloniarum ac municipiorum, bonorum scilicet virorum et locupletium, in hac curia esse voluit (1). » Idem de Caligula Cassius Dio memorat : « cum ordo equester deminutus esset, ex omni *vel extra Italiam* imperio viros, affinitatibus et opibus præpollentes, in eum adlegit; et quibusdam eorum, in spem senatoriæ dignitatis, usum vestis senatoriæ concessit, antequam magistratum ullum gessissent quo aditus in senatum pararetur » (2). De dato lato clavo hic et supra agitur quem liquet jam inde ab initio potuisse a principibus extra censuram tribui. Ecce autem, Dionis verba ponderanti, alia conjectura succurrit quam facere non possumus ut reticeamus. Scilicet, insolitum plane erat jus honorum uni vel alteri per decretum conferri, at, si principi placuerat hominem provincialem in consortium honorum vocare, eum sive inter senatores adlegebat, sive lato clavo donabat, eratque ea potissimum jus honorum decernendi ratio. Adlecti enim ex provinciis in senatum plurimi memorantur, cum contra nemo innotuerit jure honorum donatus.

De dubiis hactenus. Ostendamus nunc quomodo principes per adlectionem senatum recreaverint, provinciales, juris honorum sive compotes, sive expertes, adlegendo. Quorum hi noti sunt :

Vespasiano principe, C. Fulvius Lupus Servilianus, Nemausensis, adlectus inter prætorios (3).

Q. Pactumeius Fronto, Cirtensis, adlectus inter prætorios, consul ex Africa primus (4).

Q. Aurelius Pactumeius Clemens, Cirtensis, adlectus inter prætorios (5).

C. Antius A. Julius Quadratus, Pergameus, adlectus inter tribunicios (?) vel prætorios (6).

Nerva principe, Sex. Quinctilius Valerius Maximus, Alexandria Troade oriundus, lato clavo ornatus, auctor illustris gentis Quinctiliæ quæ ad tantum dignitatis fastigium secundo post Ch. n. sæculo provecta est, et postea Commodi sævitia omnis exstincta (7).

(1) Col. II, apud Nipperdæum, p. 315.
(2) LIX, 9.
(3) Appendix, n° 12.
(4) N° 10.
(5) N° 11.
(6) N° 15.
(7) N° 20.

Nerva vel Trajano principe, Ti. Claudius Atticus, Atheniensis, adlectus inter prætorios (1).

Trajano principe, Lusius Quietus, Maurus, adlectus inter prætorios (2).

C. Julius Antiochus Philopappus, Atheniensis, ex regibus Commagenes oriundus, adlectus inter prætorios (3).

Aliquis cujus nomen deest « [*una cum*] *Tropaiophoro fratre ex provincia Pannonia in amplissimum ordinem adsumptus* (4). »

Hadriano principe, Ti. Julius (?) Severus, Galatarum regum et tetrarcharum stirpe oriundus, adlectus inter tribunicios, inter prætorios (?) (5).

L. Æmilius Arcanus, Narbonensis, adlectus in amplissimum ordinem (6).

Q. Valerius Macedo, Viennensis, lato clavo ornatus (7).

M. Aurelio principe, Septimius Severus, Leptitanus, qui postea imperator fuit, lato clavo ornatus (8).

Septimio Severo principe, sororis ejus filius, Leptitanus, lato clavo ornatus (9).

M. Coculnius Quintillianus, Cirtensis, lato clavo ornatus (10).

Caracalla principe, Antigonus, Macedo, adlectus inter prætorios (11).

Alexandro Severo principe, Maximinus, Thracus, qui postea imperator fuit, lato clavo ornatus (12).

Post primum sæculum tempore incerto, ... Antonius (?) Vestinus Mallo Annius? vel Mallonius Romanus, Viennensis, adlectus in amplissimum ordinem inter quæstorios (13).

Ea sunt quæ colligere potuimus exempla. Quæ quanto plura fierent si accederent omnia quæ ignoramus! Minime enim dubium est plerasque familias, provinciis oriundas, quæ in senatum pervenerant, quo tempore jus honorum nondum per imperii immen-

(1) Appendix, n° 21.
(2) N° 22.
(3) N° 23.
(4) N° 25.
(5) N° 28.
(6) N° 31.
(7) N° 32.
(8) N° 40.
(9) N° 51.
(10) N° 50.
(11) N° 57.
(12) N° 62.
(13) N° 71.

sitatem propagatum esset, adlectione pervenisse. De origine nobilitatis Cn. Julii Agricolæ quid Zumptius suspicatus sit supra vidimus. Atque haud scio an idem statuere liceat de Annio Vero, proavo paterno M. Aurelii, qui ex Succubitano municipio, in Hispania, senator factus est (1), Vespasiani videlicet tempore. Verum satis ample disseruimus ut manifestum sit quanta fuerit adlectionis ad propagandam civitatem vis et utilitas.

(1) Capitol., *M. Ant. Philos.*, 1.

CAPUT QUINTUM.

DE LATI CLAVI DONATIONE. DE ADLECTIONE IN AMPLISSIMUM ORDINEM.

Inter eos quos recensuimus ex equestri dignitate ad senatoriam promotos, nonnullos memoravimus qui dicuntur in amplissimum ordinem adlecti vel adsumpti, sive etiam lato clavo ornati. Res postulat nunc ut subtilius definiamus quid sit his verbis significatum.

De iis qui lato clavo ornati erant, imprimis ponimus nullam fuisse lati clavi cum sede in curia necessariam conjunctionem. Argumento sunt tribuni laticlavii, honores petituri, quos supra frequentes invenimus. Argumento quoque est Maximinus major, qui, cum traditus sit ab Alexandro Severo lato clavo donatus fuisse, posthac dicitur, eodem occiso, nondum senator fuisse (1). Unde patet non modo adulescentes, senatoriæ dignitati destinatos, verum etiam homines jam ætate provectiores neque in tantam spem sese efferentes, si tribunatui latum clavum addidissent, non esse ideo in curiam adsumptos. Ceterum quo pertinuisset in utroque genere eandem loquendi formulam adhibere quæ rem diversam declarasset? Accedit quod nemo unquam, principatus ætate, senator occurrit qui non quæstura functus sit (2). De libera re publica idem asseverare nequimus, at nonnisi extraordinariis temporibus, afflicta vel turbulenta civitate, traditur senatores inter eos qui magistratum non gessissent petitos fuisse, sicut post Cannensem cladem (3), vel Sullæ (4) aut Cæsaris dictatura (5)

(1) Capitol., *Maximini duo*, 5 et 8.
(2) Willems, *Sénat*, I, p. 145.
(3) T. L., XXIII, 23.
(4) App. *B. C.*, I, 100. T. L., Periocha, LXXXIX. Dionys. Halicarn., V, 77. Sall., *Catil.*, 37.
(5) Willems, *Sénat*, I, p. 593-597. Legimus apud Senecam, *Epist.*, 98 (lib. XVI, ep. 3) Haase. « Honores reppulit pater Sextius qui, ita natus ut rem publicam

evenisse comperimus. Legimus quidem apud Suetonium in vita Claudii : « Latum clavum, quamvis initio affirmasset non lecturum se senatorem nisi civis romani abnepotem, etiam libertini filio tribuit (1). » Qui vero latum clavum ab imperatore acceperant, ii senatum spe quasi præoccupabant, ita ut vere dici possent senatores facti fuisse. Quid quod infra ostendimus jam primo et certe secundo sæculo nomen senatoris etiam hominibus datum fuisse, qui in curia non sederent, ut potuerit Suetonius tale dicendi genus ex suis temporibus in vetustiora transtulisse?

Quæ cum ita sint, de adlectis in amplissimum ordinem item statuere licet eos extra curiam mansisse. At, omisso etiam quod ratum habemus neminem, nisi magistratu functum, posse in curia sedere, satis docet C. Julius Celsus Maximianus « *adlectus annorum quattuor in amplissimum ordinem ab Imp(eratore) T(ito) Ælio Hadriano Augusto Pio* (2), » quid de hac re sentiendum sit.

Quæstio potest agitari an adlecti in amplissimum ordinem, si minus in curia, saltem in albo senatorio locum obtinerent. Nempe invenimus in albo Canusino, post decurionum nomina, ordine inscripta, nomina prætextatorum, id est impuberum, qui inter decuriones fuerant admissi (3). Licet igitur quærere an, eorum ad instar, Maximianus ille fuerit quoque in albo senatorio inscriptus, vel, ut generaliter loquamur, an istud quod in municipiis factitatum fuisse deprehendimus in Urbe quoque fieri soleret. De quo nihil affirmare tutius arbitramur, cum album senatorium

deberet capessere, latum clavum, divo Julio dante, non recepit. » Quo loco manifesta est lati clavi et sedis in curia conjunctio, ob eam vero causam quia latus clavus, sine ullo magistratu gesto, aditum in curia tunc temporis faciebat. Vid. Willems, *ibid.*, p. 612.

(1) *Claud.*, 24.

(2) Appendix, n° 35. Falso Nipperdæus existimavit Maximianum in ordinem Lugdunensem adlectum fuisse (*Die Leges Annales*, p. 83). Jam enim animadvertimus senatum romanum unice amplissimum dictum fuisse. Accedit quod in titulo nostro non definitum est in quem ordinem adlectio decreta fuerit, cum contra in titulis ubi adlectio in senatum municipalem memoratur nullus unquam sit dubitandi locus relictus, sive legatur « adlectus decurio, » sive « adlectus decreto decurionum, » sive quidquam aliud. Illud quidem potest opponi decurionum impuberum exempla multa exstare (Wilmanns, 297, 1724, 1842, 1912, 1927, 2069), senatorum nullum. At decuriones impuberes quos novimus erant hominum municipalium filii, propter parentum in patriam merita adlecti, habemusque hic procuratoris filium, Lugduni, procurationis gerendæ causa, consistentis vel potius prætereuntis. Ceterum dicitur Maximianus ab imperatore adlectus fuisse, quæ loquendi formula in adlectionibus inter decuriones nunquam adhibetur.

(3) *I. R. N.*, 635.

nullum nobis servatum sit, quanquam quidem haud absurdum erit reputare moris fuisse senatorum liberos adscribere, quibus Augustus permiserat, quo celerius rei publicæ assuescerent, latum clavum protinus cum virili toga induere et curiæ interesse (1). At, præterquam quod id est ex conjectura positum, primo constat nihil esse Maximiano cum illis commune, quippe qui neque senatoris filius sit, neque ad ætatem virilem pervenerit, secundo, dubium est alios unquam ac senatorum liberos senatoribus in albo additos fuisse, quo præsertim tempore senatorius ordo cœperit e senatu efflorescere et per universum imperium propagari.

Non locus est hic explanandi quomodo illud factum sit. Libera re publica, si qua senatorius ordo dicitur, intelligimus senatores qui in curia sedebant sententiamque ferebant (2). Non quin senatoriæ familiæ cum ceteris promiscue tunc haberentur, neque enim unquam nobilitatis ordo ita ex improviso prodiit surrexitque. Immo vero manifestum est adulescentes senatorio ortu jam tunc ceteris præstitisse, at in equestri ordine censebantur et in centuriis erant inscripti (3). Controversa quidem res est utrum etiam post constitutum denuo ab Augusto equestrem ordinem in sex turmis quæ fuerunt centuriis duodeviginti substitutæ (4) locum servaverint, an fuerint extra turmas sepositi. Tamen non potest posterior sententia non prævalere Cassii Dionis locum revolventibus, ubi is narrat Drusi senioris funus fuisse in Campum Martium ab equitibus translatum, ab iis scilicet qui in equestri ordine vere merebant, et ab iis qui senatoriæ stirpis erant « τῶν τε ἐς τὴν ἱππάδα ἀκριϐῶς τελούντων, καὶ τῶν ἐκ τοῦ βουλευτικοῦ γένους ὄντων » (5). Quo loco satis constat his verbis « τῶν τε ἐς τὴν ἱππάδα ἀκριϐῶς τελούντων » non alios designari quam qui in turmis inscripti erant, cum hi tantum, non equites militantes, possent tam præclarum munus suscipere, et senatoriis equitibus æquiparari, cumque præterea, senatoriis equitibus nominatis, si et ceteri equestris tantum dignitatis non essent simul memorati, viderentur debito honore ob causam nescio quam exclusi fuisse. Itaque judicamus equites senatorio ortu extra turmas mansisse, ceterisque additos universum ordinem, de quo in monumento Ancyrano

(1) Suet., *Aug.*, 38.
(2) T. L., IX, 30; XXXV, 6; XLIII, 2; Cæs., *B. C.*, I, 23; III, 83, etc., etc.
(3) Vide opus nostrum gallice inscriptum « *Les origines du Sénat romain*, » 1e partie, chapitre IV.
(4) Vide de hoc Belot, *Cheval. rom.*, II, p. 401.
(5) LV, 2.

mentionem factam invenimus (1) constituisse (2). Utcumque vero de hoc judicatum sit, illud certe ratum habebimus discrimen quod jam antea inter utramque equestris ordinis partem exstiterat, magis ac magis, condito principatu, apparuisse, quod quidem Suetonius de *juventute utriusque ordinis* locutus probe declaraverit (3). Qui autem in illa honestiore equestris ordinis parte censebantur dicebantur equites illustres, quod nomen jam libera re publica adulescentibus senatorio ortu inditum fuisse comperimus. Dicebantur quoque equites dignitate senatoria, quia latum clavum gerebant et censum senatorium habebant (4). Itaque cum essent inter senatores equitesque medii, videntur jam inde non equestri ordini magis quam senatorio adscripti fuisse. Jam Augustus, cum senatores vetuisset nisi permissu Ægyptum ingredi, equites quoque illustres vetuerat (5), satis aperte significans quam parvo intervallo a senatoribus distarent.

His expositis planius fit quid esset lato clavo ornari. Nempe,

(1) II, 46 : « *Equites* [*a*]*utem Romani universi principem juventutis utr*[*u*]*mque.... appellaverunt.* Græce : « ἱππεῖς δὲ Ῥωμαίων σ[ύνπ]αντες ».

(2) Vide de hoc Belot, *Cheval. rom.*, II, p. 404-406. Naudet, *De la noblesse chez les Romains. Mémoires de l'Académie des Inscriptions*, XXV, p. 51, n. 8. — Argumentum quoque subministrat Herodiani locus docentis quo apparatu imperatores solerent efferri « τὴν μὲν κλίνην ἀράμενοι τοῦ τε ἱππικοῦ τάγματος εὐγενέστατοι καὶ τῆς συγκλήτου ἐπίλεκτοι νεανίαι. » Quo loco illud notabile est jam tunc temporis senatorios juvenes desiisse in equestri ordine recenseri. De quo vide infra p. 134. Cf. Cass. Dio, LVI, 42, de pompa Augusti « οἵ τε ἱππεῖς, οἵ τε ἐκ τοῦ τέλους καὶ οἱ ἄλλοι » ubi his verbis « οἱ ἄλλοι » equites quoque senatorii designari videntur. Opinatur contra Madvigius (*Die Verfassung und Verwaltung des Römischen Staates*, I, p. 173) hoc loco equites in turmis inscriptos equitibus vere militantibus opponi, sicut alias apud Cassium Dionem de pompa Pertinacis, LXXIV, 5. Utcumque vero se ea res habeat, nullo modo elevatur quod de Dionis loco, LV, 2, statuimus, in quo nititur omnis argumentatio nostra. Sententiam nostra alienam aperit Hirschfeldius (*Untersuch.*, p. 243, n. 1), illud demonstrans, tres sevirorum honestiorem locum præ ceteris obtinere, atque etiam inter eos principem juventutis eligi, unde conjecturam ducit horum tres turmas, priores scilicet, equitibus dignitate senatoria assignatas fuisse. At tres seviros ceteris præstitisse ita quoque intelligimus, si modo quod Mommseno placuit (*Res gestæ*, p. 35) ratum habemus, singulas turmas suos seviros, decuriones ternos et optiones ternos, habuisse, itaque honorificentissimum in equestri ordine locum fuisse trium decurionum primæ turmæ.

(3) *Tib.*, 35.

(4) Vide opus nostrum gallice inscriptum « *Les Origines du Sénat romain*, » p. 57.

(5) Tac., *Ann.*, II, 59. Tamen Tiberius Alexander qui a Tacito appellatur eques illustris (*Ann.*, XV, 28, anno 63) præfectus Ægypti fuit ab anno 66. Vide Rénier, *Explication et restitution d'une inscription découverte à Nettuno.* Deuxième article. *Journal des Savants.* Avril 1867.

idem illud erat ac referri inter equites illustres vel senatoria dignitate. Atque inde illustrior fit locus Dionis supra jam bis memoratus : « Cum ordo equester deminutus esset, ex omni, vel extra Italiam, imperio, viros affinitatibus et opibus præpollentes, in eum adlegit, et quibusdam, in spem senatoriæ dignitatis, usum vestis senatoriæ concessit, antequam magistratum ullum gessisset, quo aditus in senatum pararetur (1). » Quæ verba si perpenderimus, nihil jam mirum habebit quod prius notavimus, principes ab initio potuisse, quando placuisset, latum clavum donare, cum antea nequirent omnes ante Domitianum, nisi censura fungerentur, in senatum adlegere. Etenim lati clavi donatio erat cum censu equitum conjuncta qui et ipse, jam ab Augusti temporibus, erat cum principatu conjunctus (2).

Alias docuimus quatenus lati clavi donatio ad honores adipiscendos juvaret (3). Illud vero est insuper adjungendum, si cui, jam ætate matura, latus clavus donaretur, eundem licuisse quæsturam continuo adipisci, tanquam tribunatu et vigintiviratu obeundo solutus fuisset. Exempla sunt Sex. Quinctilius Valerius Maximus (4), M. Coculnius Quintilianus (5), uterque post gestos municipales honores lato clavo ornatus et quæstor factus. Notabilis quoque est titulus Q. Valerii Macedonis, Viennensis, cui, cum omnibus honoribus in colonia sua functus esset, « *divos Hadrianus latum clavum cum quæstura optulit* (6). » Ex hoc fortasse intelligimus quomodo sæpius factum sit ut qui lato clavo donati essent quæsturam statim consequerentur. Scilicet lati clavi donatio vigintiviratus vacationem haud ita sæpe conferebat quam quæstura erat simul cum lato clavo donata (7).

Adlectos in amplissimum ordinem item vigintiviratu solvi solitos docemur exemplis T. Claudii Quartini (8) et L. Æmilii Arcani (9), quorum prior nullum præter tribunatum militarem munus ante adlectionem videtur gessisse, alter vero traditur omnibus honoribus in colonia sua functus esse. Erat ea, sicut supra

(1) LIX, 9.
(2) Momms., *Staatsr.*, II, p. 397, 398.
(3) P. 100.
(4) Appendix, n° 20.
(5) *Ibid.*, n° 50.
(6) *Ibid.*, n° 32.
(7) Sext. Erucium, de quo apud Plinium, *Epist.*, II, 9. « Ego Sexto latum clavum a Cæsare nostro, ego quæsturam impetravi » citare supersedemus. Potuit enim is et tribunatu et vigintiviratu angusticlavius functus esse.
(8) Appendix, n° 24.
(9) *Ibid.*, n° 31.

ostendimus, non in senatum, sed in senatorium ordinem adlectio. Illudque animadvertimus titulos in quibus ejusmodi adlectio memoratur, non esse ea ætate vetustiores qua demum senatorius ordo descriptus fuit ac constitutus, secundum post Ch. n. sæculum, vel accuratius, Trajani tempora dicimus, quibus vocabulum « vir clarissimus » cœpit in sermone epigraphico usurpari, ut senatoriæ nobilitatis signum quoddam exhiberetur (1). Itaque recentioribus etiam temporibus, anno 256, in titulo Cn. Cæsii Athicti, adlectionem inter clarissimos viros pro adlectione in amplissimum ordinem relatam invenimus (2).

Inquiretur nunc an idem fuerit lato clavo ornari, idem adlegi in amplissimum ordinem. Ad quod plane dijudicandum, opus foret prius diligenter definitum habere quid discriminis, principatus temporibus, inter senatorium equestremque ordinem interesset. At, cum ea quæstio nondum penitus excussa sit, neque fortasse possit excuti, veniam petimus ut liceat quædam ex conjectura proponere. Quod si, secundo post Ch. n. sæculo, lati clavi donatio memorari desiisset, sicut equites illustres vel senatoria dignitate post Tacitum nulli memorantur, opinio probabilis suppeteret, nihilo lato clavo donatos ab adlectis in amplissimum ordinem discrepuisse, secundo tantum sæculo priorem illam loquendi formulam exolevisse, postquam honestior equestris ordinis pars cum senatorio ordine coalescere cœperit (3). Cum autem illa dicendi formula, non in historiis modo, sed etiam in titulis publicis usque ad Severorum ætatem simul cum altera adhibita sit (4), vix fingere possumus eodem utramque pertinuisse. Ceterum, qui lato clavo donati erant, non erant ideo in senatorium ordinem adsumpti. Jam supra recensuimus quot fuerint magistratuum ornamentis decorati qui tamen in equestribus muneribus essent versati (5). Satis sit Rufrium Crispinum revocare, qui post decreta prætoria atque etiam consularia ornamenta, eques senatoria dignitate a Tacito etiam nunc vocitatur (6). Quanto magis idem valet de iis qui senatoria tantum ornamenta, id est, latum cla-

(1) Vide Friedlænder, *Sittengesch.*, I, p. 353, 354 : *Der Gebrauch von* vir clarissimus *als Titel der Senatoren.* — Titulus Ti. Claudii Quartini ab Trajano adlecti (Appendix, n° 24), primus est qui adlectionem talem commemoret.

(2) Appendix, n° 68.

(3) Vid. p. 133, n. 2.

(4) Vide titulos Q. Valerii Macedonis (Appendix, n° 32), M. Coculnii Quintiliani (n° 50).

(5) Vide partem secundam, caput tertium.

(6) P. 45.

vum, acceperant (1). Distinguebantur illi etiam Ulpiani tempore a senatoriis personis, sicut in Digestis traditum est : « Speciosas personas accipere debemus clarissimas personas utriusque sexus, *item quæ ornamentis senatoriis utuntur* (2). »

Quid inter utriusque generis personas differret parum nobis perspectum esse fatemur, nisi forte, quæ senatoriis ornamentis utebantur neque tamen inter clarissimas erant adscriptæ, senatorii ordinis immunitatum simul ac onerum non essent participes. Illud certe ratum habemus discrimen quod notavimus paulatim abolitum fuisse. Jam, quo tempore etiamnunc exstabat, qui latum clavum impetraverant erant extra ordinem equestrem ita collocati, ut paululum abesset quin viderentur in senatorium translati. Testis est Plinius major his verbis : « Purpura... (id est latus clavus) distinguit ab equite curiam (3). » Testis Gaius : « Nuper ex indulgentia principis Antonini recepta est alia causa donationis, quam dicimus honoris causa : ut ecce si uxor viro lati clavi gratia petenti donet vel ut equestris ordinis fiat... (4). » Quo vero pacto et quo potissimum tempore senatoria ornamenta cœperint cum clarissimatu conjungi nescimus. Conjuncta sunt tamen, atque ideo evenit ut, quarto et quinto sæculo, tot senatores in provinciis numerarentur qui Romam nunquam vidissent. Quemadmodum enim equus publicus cœperat promiscue decerni, item cœperat postea latus clavus, ita ut equites fere omnes in senatorium ordinem transiverint et ipse equester ordo senatorio ordine quasi absumptus fuerit. Verum sunt ea quæ et in veterum historiis negleguntur, et solent occulte inchoari et absolvi nedum aperte subito erumpant.

(1) Sunt ea senatoria ornamenta quæ in secunda commentationis nostræ parte frustra quæsivimus. Cur autem pro senatoriis ornamentis latus clavus diceretur causa est forte quia senatoria ornamenta sedem quoque inter senatores ludis epulisque conferebant, sicut animadvertimus de ornamentis quæ Augustus motis e senatu reliquerat (p. 55). Poterat id Augusti temporibus concedi, at cum magis ac magis usus invalesceret latum clavum extra senatum conferendi, necesse erat manifestum facere nulla alia ornamenta conferri.

(2) L. XVI, 100.

(3) *H. N.*, IX, 36. Detlefsen.

(4) Dig., XXIV, 1, 42.

APPENDIX

In hac appendice eos recensemus quos, sive ex titulis, sive ex historiis, certiores sumus in ordinem aliquem functorum magistratuum adlectos fuisse, vel in senatorium ordinem, sive inter clarissimos viros, adsumptos, vel lato clavo donatos. Quod si quis ornamenta functorum magistratuum adeptos desiderat, nihil attinebat eos hic repeti, cum omnes fuerint in secunda opusculi nostri parte singillatim enumerati. Ab Tiberio principe initium facimus, cum de exemplis quæ libera re publica occurrunt in prima parte satis ample disseruerimus, Augusto autem imperante, nulla reperiatur quæ proprie dicatur adlectio (1), neque ipsum latum clavum datum fuisse documento satis diserto comprobatum habeamus.

Titulos uberioribus commentariis de omni re ambigua instruere nihil intererat. Itaque satis habuimus si, quantum liceret, ordine temporum digererentur, simulque illustriora fierent quæ ad hujusce operis propositum magis pertinerent. Ceterum, cum multa fuerint jam in ipsius commentationis tenore expedita, ne trita repeterentur, operam dedimus ut unusquisque posset, indicem subjectum perlustrando, ad ea sine labore recurrere.

(1) De C. Cluvio et C. Furnio vide p. 83, et not. 3.

Tiberio imperante.

1. Multi lato clavo donati.

Oratio Claudii in monumento lugdunensi asservata ; col. II ; apud Nipperdæum, Tacit., p. 315.

«... *patruus Ti. Cæsar omnem florem ubique coloniarum ac municipiorum, bonorum scilicet virorum et locupletium, in hac curia esse voluit.* »

Caligula imperante.

2. Nonnulli lato clavo donati.

Cassius Dio, LIX, 9.

« *Cum ordo equester deminutus esset, ex omni vel extra Italiam imperio viros affinitatibus et opibus præpollentes in eum adlegit ; et quibusdam eorum, in spem senatoriæ dignitatis, usum vestis senatoriæ concessit, antequam magistratum ullum gessissent quo aditus in senatum pararetur, quod quidem antea nemini videtur contigisse, nisi qui senatorio loco ortus esset.* »

Satis constat Dionem parum diligenter hic locutum esse. Comperimus enim ex exemplo Ovidii (p. 99) jam Augusto imperante latum clavum adulescentibus equestri loco ortis atque honores petituris potuisse decerni. Vide *Trist.*, IV, 10, 29 « Induiturque humeris cum lato purpura clavo. »

Claudio imperante.

3. Ma...us (?) (Nomen truncatum est.)

Adlectus inter tribunicios.

C. I. L., V, 3117. Vicetiæ.

Ma...o, a Ti(berio) Cla[u]dio Cæsare Augusto Germanico censor[e a]dlecto in senatum et inter tribuni[cio]s relato, ab eodem adscito in numerum Saliorum, Salonia mater filio [pie]ntissimo viva fecit.

4. M. Calvius (?) Priscus.

Adlectus inter tribunicios.

Grüter, p. 384, nº 3. Juxta oppidum Cori. Titulus male descriptus est.

M(arci) Calvi M(arci) f(ilii) Pap(iria) Prisci Fide(nis?), M(arci) Calvi Pap(iria) Prisci patri[s?], adlecti in ord(ine) senatorio a Ti(berio) Claudio Cæs(are) Aug(usto) cens(ore), inter tribunicios [relati?], T(iti) Calvi M(arci) f(ilii)....

Apud Gruterum « *trib...os* ».

5. L. Licinius.

Adlectus inter quæstorios.

C. I. L., VI, 1442. Romæ.

L(ucius) Licinius....... [XV vir s(acris) f(aciundis), III vir, tr[ib(unus) mil(itum) leg(ionis) V] Macedonic[æ et.. .....] e, adlec[tus a divo] Claudio inte[r quæstorios............ tes]tamen[to fieri jussit] L(ucio) Licinio L(ucii) f(ilio) C[............ pon]tifi[ci, q(uæstori), æd(ili)?, præt(ori)], leg(ato) divi Aug(usti) pro[pr(ætore) prov(inciæ)........., præfecto frumenti dandi] ex s(enatus) c(onsulto), pro co(n)s(ule) Bit[hyniæ, leg(ato) leg(ionis)........... proco(n)s(ule) Hispaniæ] ulterioris, comiti dat[o........ a divo A]ug(usto) C(aio) [Cæsari. et]Liciniæ L(ucii) f(iliæ Cæsi Longi [....... et Licini]æ L(ucii) f(iliæ) Ma.......

6. Libertinus aliquis lato clavo donatus.

Suet. *Claud.*, 24.

« *Latum clavum, quamvis initio affirmasset non lecturum se senatorem nisi civis romani abnepotem, etiam libertini filio tribuit, sed sub condicione si prius ab equite romano adoptatus esset.* »

Vespasiano imperante.

7. Plotius Grypus.

Adlectus inter tribunicios?

Tacit., *Hist.*, III, 52 : « *Plotium Grypum, nuper ab Vespasiano in senatorium ordinem additum, ac legioni præpositum.* » Anno 69 exeunte. Cf. IV, 39 : « *Tettio Juliano prætura..... ablata ut in Plotium Grypum transferretur.* » Kal. januar. anni 70.

Legati legionis vice, nondum prætorius, quod haud ita insolitum erat (Marquardt, *Staatsverw.*, II, p. 443) Plotius functus est, at certe senator factus, atque etiam, ut videtur, inter tribunicios relatus. Nempe, legatio ea nimis insignis erat quam ut homini qui lato clavo tantum donatus esset mandaretur, siquidem Plotius legatus, non *pro legato*, legioni fuit præpositus (cf. Tacit., *Ann.*, XV, 28 : « Vinicianus Annius, gener Corbulonis, nondum senatoria ætate, sed *pro legato* quintæ legioni impositus »), neque præterea inter quæstorios tantum adlectus post tam

breve temporis spatium ad præturam promotus fuisset, tribunatus vel ædilitatis gradu prætermisso. Quanquam turbulentissimis temporibus fieri potuit ut leges de ordine magistratuum parum servarentur. Atque illud jam erat contra leges Vespasianum in ordinem senatorium adlegere cum censoriam potestatem non antea assumpsisset (V. p. 104-105). Quippe non ante annum 70 censor factus est (Boor, *Fasti censorii*). Quod si quis miretur magistratum ex magistratu invitum cessisse, conferat is Suet., *Tib.*, 35, de quo Momms., *Staatsr.*, II, p. 844, n. 1. Idem Plotius Grypus videtur anno 88 consul suffectus fuisse (Klein, *Fasti consulares*). Filius ejusdem videtur esse Plotius Grypus de quo apud Statium. *Silv.*, IV, *Præf.*, et 9, v. 15, 19. Vid. Friedlænder, *Sittengeschichte*, II, p. 456. Hirschfeld, *Philologus*, 1870, p. 29, 40. Idem : *Untersuchungen auf dem Gebiete der Rœmischen Verwaltungsgeschichte*, I, p. 101, n. 2.

8. C. Julius Cornutus Tertullus.

Adlectus inter prætorios.

Wilmanns, 1164. Romæ.

C(aio) Julio P(ublii) f(ilio) Hor(atia) Cornuto Tertu[llo] co(n)s(uli), proconsuli provinci[æ Asiæ], proconsuli provinciæ Narbo[nensis], legato pro prætore divi Trajani [Parthici] provinciæ Ponti et Bith[yniæ], ejusdem legato pro pr[ætore] provinciæ Aquitaniæ censu[um] accipiendorum, cu[ra]to[ri viæ] Æmiliæ, præfecto ærari Sa[tu]r[ni], legato pro prætore provinc[iæ] Cretæ et Cyrenarum, a[dl]e[cto] inter prætorios a divis Ves[pasiano] et Tito censoribus, ædili ce[riali], quæstori urbano, ex testamento C(aius) Julius P(ublii) [f(ilius)] Anicius Varus Cornutus [fratri].

De eo vide Borghesi, *Op.*, IV, p. 117. Waddington, *Fastes des provinces asiatiques*, nº 123. Apud Plinium minorem sæpe memoratur. Vide *Epistulas*. Edit. Keil. Index nominum. Vide quoque *Panegyr.*, 90-93.

9. C. Salvius Liberalis Nonius Bassus.

Adlectus inter tribunicios, inter prætorios.

Wilmanns, 1151. Prope Urbem Salviam.

[C(aio) Salvio] C(aii) f(ilio) Vel(ina) Liberali [Nonio] Basso, co(n)s(uli), proco(n)s(uli) provin[ciæ Ma]cedoniæ, legato Augustorum [provinc(iæ)] Britann(iæ), legato leg(ionis) V Maced(onicæ), [fratri A]rvali, allecto ab divo Vespasiano [et divo Ti]to inter tribunicios, ab iisdem [allecto] inter prætorios, quinq(uennali) IIII, p(atrono) c(oloniæ). Hic sorte [proco(n)s(ul) fac]tus provinciæ Asiæ se excusavit.

Vid. Borghesi, *Op.*, III, p. 177, etc. Waddington, *Fastes des provinces asiatiques*, nº 112.

10. Q. Pactumeius Fronto.

Adlectus inter prætorios.

C. I. L., VIII, 7058. Rénier, *Inscriptions de l'Algérie*. 1808. Cirtæ.

[Q(uinto) Pactumeio Quir(ina) Frontoni in senatu inter prætorios allecto ab I]m[p(eratore) Cæ]s(are) V[espasia]no Aug(usto) et Tito Imp(eratore) Aug(usti) f(ilio), sacerdoti fetiali, præf(ecto) ærarii militaris, co(n)s(uli) ex Afric[a p]rimo, Pactumeia vev...... m..... mo.

Vid. Borghesi, *Op.*, VIII, p. 558-560. Titulum ad consulem anni 80 (Vid. Klein, *Fasti consulares*) refert. Præfectura ærarii quæ adlectionem subsecuta est demonstrat eam inter prætorios fuisse. « *Quirina* » quia alibi gentem Pactumeiam in hac tribu inscriptam fuisse comperimus. Cf. *C. I. L.*, VIII, 7057 (appendix, nº 11) et 7059.

11. Q. Aurelius Pactumeius Clemens.

Adlectus inter prætorios.

C. I. L., VIII, 7057. Cirtæ.

Q(uinto) Aur[elio] Pactum[eio....... f(ilio] Quir(ina) Clem[enti], in senatu in[ter] prætorio[s] allecto [ab] Imp(eratore) Vespa[siano Aug(usto) et Tito Imp(eratore) Aug(usti) f(ilio].....

Ejusdem nepos esse videtur P. Pactumeius P. f. Quir. Clemens cos. anno 138 Vide *C. I. L.*, VIII, 7059, 7060. Borghesi, *Op.*, VIII, p. 558-559. Klein, *Fasti consulares.*

12. C. Fulvius Lupus Servilianus.

Adlectus inter prætorios.

Kellermann, *Vigil.*, p. 33, nº 24. — Herzog, *Galliæ Narbonensis historia. Appendix epigraphica*, nº 123. — Allmer, *Revue épigraphique du midi de la France*, p. 281, nº 313. Hujus exemplar sequimur. Nemausi.

C(aio) Fulvio C(aii) f(ilio) Vol[t](inia) Lupo Servilian[o]....., adlecto inter prætor[ios] ab Imp(eratore) Cæsare Vespas[iano], præfecto alæ Longinian[æ], IIII vir(o) ad ærarium, pontifici, præfecto vigi[lum], Julia D(ecimi) f(ilia) Concess[a] viro.

13. Atilius Pecullus (?) vel Clu. Lollianus (?).

Adlectus inter prætorios.

Perrot, *Exploration archéologique de la Galatie et de la Bithynie*, p. 13-14. Apameæ.

... [A]tilio Pecullo.., [t]rib(uno) mil(itum) leg(ionis) IIII, Scythic(æ) beneficio divi Claudi, præf(ecto) coh(ortis) III sagittar(iorum), adlecto inter prætor(ios) [a]b Imp(eratore) Vespasiano Aug(usto), [l]eg(ato) pro pr(ætore) provinciæ Asiæ, [c]ol(onia) Jul(ia) Conc(ordia) Apamea patrono suo.

Ita Perrotus, *l. c.* : « Atilius, précédé d'un prénom abrégé en une lettre, semble pouvoir se restituer avec sûreté ; mais le surnom Pecullus, que donne la plus soigneusement faite des trois copies, m'inspire des doutes. En tout cas, cette leçon paraît infirmer la supposition que M. Henzen avait émise sous toutes réserves, d'après le texte tel que

je l'avais emprunté au *Courrier d'Orient* : il avait pensé qu'il faudrait peut-être lire ici T. Atilius Rufus, et qu'il s'agirait alors d'un personnage que nous trouvons légat de la Pannonie en l'an 80 (Orelli, 5428), et, sous Domitien, proconsul de Syrie (Tac., *Agric.*, 40). Henzen, *Bulletin de l'Institut archéologique*, 1861, p. 122, 123. »

Emendavit Mommsenus. *C. I. L.*, III, 335.

... *tilio P(ublii) f(ilio) Clu (?) Lol[lian]o[t]rib(uno)*... Cetera ut supra.

14. Nomen deest in titulo truncato.

Adlectus inter tribunicios. *C. I. L.*, II, 4130. Tarracone.

[.... *adlecto inter tr*]*ibunicios* [*a divo V*]*espasiano* [*Aug(usto)*.....] *piissim* [?].

15. C. Antius A. Julius Quadratus.

Adlectus inter tribunicios (?), inter prætorios. Vid. p. 74-75.

Vide titulos ad eum pertinentes apud Waddingtonium (*Fastes des provinces asiatiques*, nº 114) digestos illustratosque. Fuit origine Pergameus. Cursus honorum hic est : Adlectus inter tribunicios (?), idem inter prætorios a Vespasiano, leg. pr. pr. provinc. Ponti et Bithyniæ, leg. pr. pr. provinc. Asiæ II, leg. Aug. pr. pr. provinc. Cappadociæ (πρεσβευτὴς τοῦ Σεβαστοῦ ἐπαρχείας Καππαδοκικῆς), procos. provinc. Cretæ et Cyrenaicæ, leg. Aug. pr. pr. provinc. Lyciæ et Pamphyliæ, cos. suff. anno 93, leg. Imp. Nervæ Trajani Cæs. Aug. Germanici Dacici pr. pr. (anno 102 vel post) provinc. Syriæ Phœnices Commagenes, cos. ord. anno 105, procos. provinc. Asiæ (anno ferme 106), septemvir epulonum, frater Arvalis.

16. Minicius Macrinus. Brixianus.

Adlectus inter prætorios.

Plin., *Epist.*, I, 14 : «.... *pater Minicius Macrinus, equestris ordinis princeps, quia nihil altius voluit; adlectus enim a divo Vespasiano inter prætorios honestam quietem huic nostræ ambitioni dicam an dignitati constantissime prætulit.* » Ibidem agitur de familia ejus. Vide quoque Keilii indicem.

17. L. Bæbius Avitus.

Adlectus inter prætorios.

C. I. L., VI, 1359. Romæ.

L(ucio) Bæbio L(ucii) f(ilio) Gal(eria) Avito, præf(ecto) fabr(um), trib(uno) mil(itum) leg(ionis) X Gem(inæ), proc(uratori) Imp(eratoris) Cæsaris Vespasiani Aug(usti) provinciæ Lusitaniæ, adlecto inter prætorios.

A Vespasiano adlectus ?

Primo sæculo.

18. Nomen deest.

Adlectus inter prætorios.

C. I. L., II, 3533. Totanæ.

..... *t?abat?..... adlecto [inter præt]orios, ædili curuli, [quæstori] urbano, X viro stlitibus [j]udicandis.*

« Litteris bonis sæculi primi ».

Nerva imperante.

19. T. Mustius Hostilius Fabricius Medulla Augurinus.

Adlectus inter tribunicios.

C. I. L., V, 2822. Patavii.

T(ito) Mustio C(aii) f(ilio) Fab(ia) Hostili[o] Fabricio Medullæ Augurino, allecto inter tribunicios ab [I]mp(eratore) Nerva Cæsare August(o), præt(ori),..... [c]ur(atori) ær(arii), pontifici, [d(ecreto)] d(ecurionum).

Vid. Borghesi, *Op.*, VII, p. 267.

Curatoris ærarii munus in aliis Patavinis titulis memoratur (*C. I. L.*, V, 2504, 2861). Pontificatum qui postea memoratur urbanum fuisse Mommsenus suspicatur (*Ibid.*, p. 268). Immerito quidem nostra sententia. Pontifices enim Patavii reperimus (*Ibid.*, 2848, 2855), neque eo loco apta videtur sacerdotii urbani mentio.

20. Sex Quinctilius Valerius Maximus.

Lato clavo exornatus.

C. I. L., III, 384. Lebas Waddington, 1037. Alexandriæ Troadis.

Sex(to) Quinctilio Sex(ti) f(ilio) Ani(ensi) Valerio Maximo, lato clavo exornato a divo Aug(usto) Nerva, quæstori Ponti et Bithyniæ, patrono coloniæ, pontifici, II viro, præf(ecto) fabrum, IIviralib(us) et sacerd(otalibus) ornam(entis) honor(ato), d(ecreto) d(ecurionum), vic(us) decimus.

Auctor est illustris gentis Quinctiliæ, de qua apud Waddingtonium, *Fastes des provinces asiatiques*, nº 149.

Nerva vel Trajano imperante.

21. Ti. Claudius Atticus.

Adlectus inter prætorios.

De eo et de tota ejus gente vid. Borghesi, *Op.*, V, p. 533. Waddington, *Fastes des provinces asiatiques*, n° 126. Vidal-Lablache, *Hérode Atticus*. Dittenberger, *Die familie des Herodes Atticus. Hermes*, XIII, p. 67-89.

Pater inclyti sophistæ Herodis Attici. Cos. suff. circa 104 ut existimat Waddingtonius (inter annos 97-105 secundum Dittenberger, p. 76, n. 1). Cos. II anno incerto. Legat. Aug. pr. pr. provinciæ Syriæ Palestinæ inter annos 105 et 107. Cum nullus ejus honos ante consulatum memoretur, jure censet Waddingtonius eum inter prætorios adlectum fuisse. Conjicit quidem Dittenberger (p. 76), ex titulo græco (*C. I. A.*, III, 668. *Eph. arch.*, 3363), Atticum ante consulatum proconsulem Achaiæ fuisse, at nihilominus rata est Waddingtonii opinio de adlectione ejus inter prætorios, cum proconsules Achaiæ prætorii esse deberent. Non potuit autem nisi a Nerva aut a Trajano adlegi cum Athenis vixisset, illustri quidem gente ortus et præterea civis romanus, at obscurus et pauper, priusquam thesaurum effodisset quem integrum ei Nerva remisit (Philostr., *Vit. Soph.*, II, I, 3, Didot). Cumque jam anno 104 ad summum dignitatis fastigium esset provectus, debet sive ab Nerva, sive ab Trajano, ineunte principatu, adlectus esse.

Trajano imperante.

22. Lusius Quietus.

Adlectus inter prætorios.

Cass. Dio, LXVIII, 32.

Vide de eo Borghesi, *Op.*, I, p. 500, etc. Dierauer, *Beiträge zu einer kritischen Geschichte Trajan's* apud Büdinger, *Untersuchungen zur Römischen Kaisergeschichte*, I, p. 81. De la Berge, *Essai sur le règne de Trajan*, p. 42, n. 6; p. 185, n. 2.

Cursus hic est. Natione Maurus. Præfectus equitum Maurorum. Cum ignominia dimissus. Postea bello Dacico præfectus equitum Maurorum iterum (101-106 ?). Ob rem fortiter hoc bello gestam adlectus inter prætorios. Bello Parthico (114-117), quali præsertim officio functus nescimus, item insignitus. Cos. suff. anno 115. Legatus Aug. pr. pr. provinciæ Judææ (116). Jussu Hadriani interfectus (118).

23. C. Julius Antiochus Philopappus.

Adlectus inter prætorios.

C. I. L., III, 552, II. Athenis.

C(aius) Julius C(aii) f(ilius) Fab(ia) Antiochus Philopappus, co(n)s(ul), frater Arvalis, allectus inter prætorios ab Imp(eratore) Cæsare Nerva Trajano Optumo Augusto Germanico Dacico.

Adlectus fuit inter annos 114 et 116. Nempe Trajanus dictus fuit Germanicus ab anno 97, Dacicus ad finem anni 102 vel anno 103, Optimus ab anno 114; Parthici autem cognomen, quod hic non reperitur, ab anno 116 adsumpsit. Vide de hoc titulo Mommsen, *Die Dynastie von Kommagene. Mittheilungen des deutschen archæologischen Institutes in Athen*, I, p. 27-39.

24. Ti. Claudius Quartinus.

Adlectus in amplissimo ordine.

Allmer, *Revue épigraphique du midi de la France*, p. 27, nº 37. Is titulum qualis a Reniero restitutus est (Spon, *Recherches des antiquités et curiosités de la ville de Lyon*. Nouvelle édition par Léon Rénier, p. 107), emendavit. Cf. *ibid.*, p. 48 et p. 64, *corrections et additions*. Titulus hodie evanidus non potest repræsentari qualis olim truncatus exstitit. Lugduni.

T(iberio) Claud(io) Ti(berii) fil(io) Pal(atina) Quartino, trib(uno) mil(itum) leg(ionis) III Cyrenaic(æ), adlecto ab divo Trajano Parthico in amplissimo ordine, q(uæstori) urbano, ædili pleb(is), prætori, leg(ato) pro pr(ætore) provinc(iæ) Asiæ, leg(ato) divi Trajani et Imp(eratoris) Cæs(aris) Trajani Hadriani Aug(usti) juridico provinc(iæ) Hispan(iæ) citerior(is) Tarrac(onensis), jussu Imp(eratoris) Hadriani Aug(usti) præposito leg(ionum) II Trajanæ Fortis et III Cyrenaicæ in expeditionem Judaicam ducendarum (?).

« In *amplissimo* ordine » ex Renieri recensione pro « *splendidissimo* », quod ab Allmero positum est, retinuimus. Nempe romanus senatus *amplissimus* frequentius quam *splendidissimus* dicitur. Cf. Henzen, 6748 « *præpositus legionibus I Italicæ et III [Augustæ.* »

Parthici cognomen Trajanus anno 116 assumpsit annoque 117 obiit. Fuit igitur Quartinus alterutro anno adlectus.

25. Nomen deest.

Adsumptus in amplissimum ordinem.

C. I. L., III, 731. Perinthi.

..... *[una cum] Tropaiophoro fratre ex provinc(ia) Pannonia in amplissimum ordinem adsumpto, præf(ecto) coh(ortis) I[II] Br[e]ucorum, equites singular(es) ejus.*

Videtur is, ob equites singulares qui monumentum dicabant, legatus

provinciæ Thraciæ fuisse. Itaque titulus non est Trajano vetustior sub quo Thracia provincia prætoria ex procuratoria facta est (Marquardt, *Staatsverw.*, I, p. 158). Immo, cum provincia Pannonia simpliciter memoretur, haud scio an ejusdem adlectio fuerit ante annos 102-107 decreta, intra quos Pannonia in inferiorem et superiorem Pannoniam divisa fuit (Marquardt, *ibid.*, p. 138).

Hadriano imperante.

26. C. Curtius Proculus.

Adlectus inter tribunicios.

C. I. L., III, 1458. Sarmizegetusæ.

C(aio) Curt[io... fil(io) P]olli[a P]ro[c]u[lo, IIII viro v]iarum curandarum........, quæstori urbano, [adlecto] inter tribunicios a div[o H]ad[riano], prætori peregrino, IIIIIlviro [eq(uitum) r(omanorum)] turmis ducendis, præf(ecto) [fr]umen[t(i)] da[n]di, curatori via[r(um)] Clodiæ, Anniæ, Cassiæ, [C]iminiæ, leg(ato) Imp(eratoris) Antonini Augusti Pii leg(ionis) X[X] Val(eriæ) Vict(ricis), proco(n)s(uli) provinciæ Colliæ (?), leg(ato) pro [pr(ætore)] Imp(eratoris) Anton(ini) Aug(usti) Pii provinciæ Daciæ, col(oniæ) Ulp(iæ) Trajana Dacic(a) Sarmizeg(etusa) patrono.

Commentarium in hunc titulum edidit A. G. Zumpt, *Rheinisch. Mus.*, 1843, t. II, p. 250-289. *Honorum gradus sub Hadriano et Antonino Pio.*

« Colliæ » manifesto lapicidæ indiligentiam arguit : « Pro Colliæ scripserim Achaiæ; de Gallia cogitavit Zumptius, de Sicilia Borghesius in schedis » Mommseni comment.

27. C. Oppius Sabinus Julius Nepos Ma. Vibius Sollemnis Severus.

Adlectus inter tribunicios.

Wilmanns, 1171. Auximi.

C(aio) Oppio C(aii) f(ilio) Vel(ina) Sabino Julio Nepoti Ma(nio) Vibio Sollemni Severo, co(n)s(uli), adlecto a sacratissimo Imp(eratore) Hadriano Aug(usto) inter tribunicios, pr(ætori) peregr(ino) candidato Aug(usti), leg(ato) prov(inciæ) Bæticæ, cur(atori) viar(um) Clodiæ, Anniæ, Cassiæ, Ciminæ, trium Trajanarum et Amerinæ, leg(ato) legion(is) XI Cl(audiæ) p(iæ) f(idelis), leg(ato) Aug(usti) pr(o) pr(ætore) provinc(iæ) Lusitaniæ, procons(uli) provinc(iæ) Bæticæ, patrono col(oniæ), Leonas lib(ertus) adcensus patroni, et in dedic(ationem) statuæ colonis cenam dedit.

Filius C. Oppii Sabini cos. ann. 84. Borghesi, *Op.*, V, p. 51-54.

28. Ti. Julius (?) Severus.

Adlectus inter tribunicios, inter prætorios? Vid. p. 75.

Titulos locosque ad eum pertinentes vide a Waddingtonio (*Mémoire sur la chronologie de la vie du rhéteur Ælius Aristide*. Mémoires de l'Académie des Inscriptions, 1867, XXVI, p. 218-230. Cf. *Fastes des provinces asiatiques*, nº 143) digestos illustratosque.

Cursus hic est. Galatarum regum et tetrarcharum stirpe oriundus. Omnibus honoribus apud cives functus. Adlectus ab divo Hadriano inter tribunicios (καταγεὶς ὑπὸ θεοῦ Ἀδριανοῦ εἰς τοὺς δημαρχικούς, *C. I. G.*, 4033, 4034). De prætura quam postea est adeptus, vel de adlectione inter prætorios quæ potuit pro prætura decerni in titulis negligentia quadam siletur. Leg. provinc. Asiæ ab epistola et codicillis divi Hadriani. Leg. leg. IIII Scyth. in provinc. Syria, idemque provinc. Syriæ, Publicio Marcello leg. Aug. pr. pr. in expeditionem Judaicam absente, præpositus. Procos. provinc. Achaiæ. Corrector et curator quinquefascalis provinc. Bithyniæ missus ab divo Hadriano anno 134 vel 135. Præf. ærarii Saturni anno ferme 138 vel 139. Cos. suff. anno ferme 140 vel 141. Pontifex. Curator operum locorumque publicor. Legat. pr. pr. Imp. Cæsar. Ti. Ælii Hadriani Antonini Aug. Pii provinc. German. inferior. Procos. provinc. Asiæ anno 153.

29. Ti. Claudius Atticus Herodes.

Adlectus inter prætorios.

Vide de eo et de tota gente ejus : Vidal-Lablache, *Hérode Atticus*. Dittenberger, *Die Familie des Herodes Atticus. Hermes*, XIII, p. 67-89.

Inclytus sophista. Filius Ti. Claudii Attici supra memorati (nº 21). Legat. Hadriani ad corrigendum statum liberarum civitatum provinciæ Asiæ, T. Aurelio Fulvo Antonino proconsule anno 135-138. (Waddington *Fastes des provinces asiatiques*, nº 135. Philostr., *Vit. Soph.*, II, I, 4 et 17, Didot). Cos. 143. Honores publicos populi romani tantum memoramus. Cum nullus honos ante legationem ad corrigendum statum liberarum civitatum Asiæ memoretur suspicatur Dittenberger eum inter prætorios adlectum fuisse. Erant enim tales legati prætorii plerique, neque consulatum longo tempore post legationem Herodes adeptus est, neque præterea de prætura ejus vel inferiore aliquo magistratu mentio ulla facta est (Dittenberger, *l. c.*, p. 75, n. 1). Fuit autem ab Hadriano adlectus. Nempe inter annos 101 et 104 natus (Vidal-Lablache, *o. c.*, p. 10-11), annum ætatis tricesimum septimum certe non transgressus erat cum legationem obtineret (135-138), imperioque Hadrianus jam ab anno 117 potiebatur. Opinatur Dittenberger (*l. c.*) eum circa annum 130 adlectum fuisse.

30. Attianus.

Adlectus inter consulares.

Spartianus, *Hadrianus*, 8 et 9.

Hadriani tutor, ejusdem præfectus prætorii; cum in offensam apud eum venisset, adlectus inter consulares. Vid. de eo Hirschfeld, *Untersuch.*, p. 225, nº 32. Friedlænder, *Sittengesch.*, I, p. 191.

31. L. Æmilius Arcanus.

Adlectus in amplissimum ordinem.

Herzog, *Galliæ Narbonensis historia. Appendix epigraphica*, nº 17. Wilmanns, 1169. Narbone Martio.

L(ucio) Æmilio L(ucii) f(ilio) Pap(iria) Arcano, trib(uno) mil(itum) leg(ionis) [VI]I Geminæ et trib(uno) mil(itum) leg(ionis) I Minerv(iæ), item trib(uno) mil(itum) leg(ionis) II Aug(ustæ), omnib(us) honoribus in colonia sua funct(o), adlecto in amplissimum ordinem ab Imp(eratore) Cæs(are) Hadriano Aug(usto), IIIIIvir(o) equitum romanor(um), curioni, quæstori urbano, trib(uno) plebis, prætori designat(o), L(ucius) Æmilius Moschus IIIIIvir Aug(ustalis), patrono optumo, post obitum ejus inlat[is] arcæ seviror(um) ob locum et tuitionem statue HS n(ummum) IIII, l(ocus) d(atus) d(ecreto) IIIIIviror(um), et sportu(læ) n(omine) s(ingulis) dedicavit ✱ III.

32. Q. Valerius Macedo.

Lato clavo ornatus.

Allmer, *Inscriptions de Vienne*, II, nº 170, p. 251-255. In colle qui vocatur *de l'Ermitage*, prope oppidum *Tain*.

Q(uinto) Valerio C(aii) f(ilio) Volt(inia) Macedoni, flam(ini) juvent(utis), quæstori c(oloniæ) V(iennensium), IIvir(o) ær(arii), auguri, IIIvir(o) l(ocorum) p(ublicorum) p(ersequendorum). Huic divos Hadrianus latum clavum cum quæst(ura) optulit, et petentis excusationem acc[epit]. V[ic]ani Boxsa[ni] (?) et Noiomagens[es] patrono.

Antonino Pio imperante.

33. Nomen deest.

Adlectus inter prætorios.

Allmer, *Inscriptions de Vienne*, I, nº 59, p. 213-218. Viennæ.

Titulus ab Allmero ita restitutus est.

...... Latino...... ato [legato] Aug(usti) propr[æt(ore) provinciæ Lugu]dunens(is), adlecto in[ter prætorios ab] Imp(eratore) Cæs(are) T(ito) Æl(io) [Hadriano Antonino Aug(usto)] Pio [p(atre) p(atriæ), præfecto Ægypti (?), præfecto annonæ (?)] p[rocuratori....... provinciæ Lug] sive *p[rocuratori provinciarum duarum Aquitanicæ et Lug]udu[nens(is), præf(ecto) coh(ortis)....*

pr]æt[oriæ civ(ium) roma]nor(um), pro[curatori (?).....] *Pon[ti et Bithyniæ* (?), *præf(ecto) veh]iculor(um)*.....

De Allmeri restitutione vide p. 112, n. 1, ubi pro his verbis « *præfecto Ægypti, præfecto annonæ* » hæc « *procuratori summarum rationum* » vel « *rei privatæ* » vel « *ab epistulis latinis* » substituimus. Ex sententia Hirschfeldii, quam mecum Allmer benigne communicavit, pro his verbis « *præf(ecto) coh(ortis) pr]æt[oriæ civ(ium) roma]nor(um)* » sunt ea potius restituenda « *proc(uratori) prov(inciæ) R]æt[iæ et regni] Nor(ici)* » cum ita non interruptus sit procurationum tenor.

34. C. Mæsius Picatianus.

Adlectus inter tribunicios.

C. I. L., V, 4338. Brixiæ.

C(aio) Mæsio C(aii) f(ilio) Picatiano, Xvir(o) stilitib(us) jud(icandis), trib(uno) milit(um) leg(ionis) I Italic(æ), qu(æstori) prov(inciæ) Afric(æ), allect(o) inter tribun(icios) ab Imperatore Hadriano Antonino Aug(usto) P(io), prætori, patrono, d(ecreto) d(ecurionum).

35. C. Julius Celsus Maximianus.

Adlectus in amplissimum ordinem.

Boissieu, *Inscriptions antiques de Lyon*, p. 246. Allmer, *Revue épigraphique du midi de la France*. p. 28, nº 39. Lugduni.

C(aio) Jul(io) C(aii) fil(io) Quir(ina) Celso Maximiano, adlecto annorum quattuor in amplissimum ordinem ab Imp(eratore) T(ito) Ælio Hadriano Aug(usto) Pio, p(atre) p(atriæ), Appianus Aug(usti) lib(ertus) tabul(arius) ration(is) ferrar(iarum).

Pater in equestribus muneribus versatus erat. Vide titulum ejus in eodem monumento inscriptum, Boissieu, *ibid.*, Allmer. *ibid.*, p. 47, nº 68.

Antonino Pio vel M. Aurelio imperante.

36. Petronius Mamertinus.

Adlectus inter quæstorios.

C. I. L., VI, 1488. *Ephem. epigr.*, IV, 1881 p. 288, nº 828. Romæ.

.... *Petronio Mamertino, [XV vir(o)] sacr(is) fac(iundis), præf(ecto) ær(arii) Sat(urni), c?[uratori ?...., alle]cto inter quæstorios ab*.....

Avum M. Petronium Suram procuratorem Hadriani titulus Hadriano dicatus exhibet cum filiis Mamertino et Antonino. *C. I. L.*, VI, 977. Pater est Sex. Petronius Mamertinus, præfectus Ægypti, Hadriano imperante, anno 134. (*C. I. L.*, III, 44. Cf. 77), præfectus prætorio, imperante Antonino Pio, anno 140. (*C. I. L.* VI, 1009. Vid. Hirschfeld, *Untersuch.*,

p. 225, nº 36). Hic noster Sex. fil., cos. anno 182, M. Aurelio imperante, ejusdem gener, a Commodo interfectus est anno 190. Vid. Pauly, *Encykl.*, V, p. 1047, 1048, nº 23. Adlectio ejus est sive Antonino sive Aurelio referenda. Ceterum titulus qualis propositus est offendit. Præfectura ærarii Saturni munus prætorium est. Itaque spatium quæro quo prætura, tribunatus vel ædilitas, muneraque tribunicia, si qua sunt, memorentur. Restat quidem ut ædilitatis tribunatusque gradum, ut, patricius, omiserit (Momms., *Staatsr.*, I, p. 536, 537).

M. Aurelio imperante.

37. A. Julius Pompilius Piso T. Vibius..... Lævillus Berenicianus.

Adlectus inter tribunicios.

C. I. L., VIII, 2582, Lambæse.

[A(ulus] Julius Pompilius A(uli) fil(ius) Cornelia Piso T(itus) Vib[ius...... Lævillus] Berenicianus, Xvir stilitibus judicandis, tri[bunus militum leg...], item XV Apollinaris, quæstor urb(anus), adlec[tus inter tribunicios, prætor] candidatus Augustorum, legatus leg(ionis) XIII [Geminæ, item IIII Flaviæ], præpositus legionibus I Italicæ et III[I Flaviæ cum omnibus copiis] auxiliorum dato jure gladi, leg(atus) August[orum pro prætore leg(ionis) III Aug(ustæ)], consul desig[natus].

Ad eundem pertinent tituli 2488, 2547, 2744, 2745, ex quibus hic noster est restitutus. Tituli 2547 et 2744 dedicati sunt, A. Julio leg. Aug. pr. pr. leg. III Aug., ab veteranis ejusdem legionis « *qui militare cœperunt Glabrione et Homullo et Præsente et Rufino coss.* » Consules fuerunt M. Acilius Glabrio et M. Valerius Homullus anno 152, C. Bruttius Præsens et A. Junius Rufinus anno 153, imperante Antonino Pio. Quando vero A. Julius legat. leg. III. Aug. fuerit ex titulo 2488 comperimus, ubi dicuntur imperatores Cæsares M. Aurelius Antoninus et L. Aurelius Commodus Augusti Germanici Sarmatici Fortissimi amphitheatrum vetustate corruptum restituisse, A. Julio Pompilio Pisone Lævillo leg. Augustorum pr. pr. Nempe ita quoque legat. leg. III Aug. appellabatur (Marquardt, *Staatsverw.*, I, p. 309). Duo igitur Augusti quorum in titulo nostro A. Julius memoratur legat. pr. pr. leg. III Aug. fuisse sunt M. Aurelius et Commodus (177-180. Anno 177 Commodus Augustus dictus est). Cum vero antea pluribus muneribus functus sit, duo Augusti quorum candidatus præturam adeptus est sunt M. Aurelius et L. Aurelius Verus (161-169). Verisimillimum est ab iisdem adlectionem ejus inter tribunicios decretam fuisse.

38. P. Helvius Pertinax.

Lectus in senatu. Deinde adlectus inter prætorios.
Capitolin. *Pertinax*, 2.

Cursus hic est : (Vid. Capitolin., 1-4. Cass. Dio, LXXIII, 3-4. Herod., II, 1, 4). Patre libertino natus. Grammaticen professus. Centurio. Præfectus cohortis. Præfectus alæ. Procurator alimentorum viæ Æmiliæ. Præfectus classis Germanicæ. Procurator ducenarius provinciæ Daciæ (incertum cujus ex tribus Daciis. Vid. Marquardt, *Staatsverw.*, I, p. 153, 154). Præpositus vexillationibus. Lectus in senatu ab imperatore M. Aurelio. Adlectus ab eodem inter prætorios. Legatus Aug. legionis I Adjutricis (Vid. Noël Des Vergers, *Essai sur Marc-Aurèle*, p. 77). Cos suff. anno 175. Legatus Aug. pr. pr. provinciæ Moesiæ utriusque. Legatus Aug. pr. pr. trium Daciarum (Vid. Borghesi, *Op.*, VIII, p. 475). Legatus Aug. pr. pr. provinciæ Syriæ. Legatus Aug. pr. pr. provinciæ Britanniæ. Præfectus alimentorum. Procos. provinciæ Africæ. Præfectus urbi. Cos. II anno 192. Imperator anno 193.

39. Adlecti inter ædilicios sive tribunicios et inter prætorios.

Capitolin., *M. Antoninus philosophus*, 10. edit. Peter. Teubner : « *Multos ex amicis in senatum adlegit cum ædiliciis aut prætoriis dignitatibus. Multis + senatibus vel pauperibus sine crimine senatoribus dignitates tribunicias ædiliciasque concessit.* »

Obscurus hic locus est neque etiam corruptela caret. Adlectionem inter ædilicios, — aptius dixerit tribunicios, — et prætorios his verbis : « *Multos ex amicis..... aut prætoriis dignitatibus* » Capitolinus significare videtur. Verbis quæ sequuntur haud scio an ornamenta tribunicia ædiliciaque significaverit, etsi nullum aliud hujus generis ornamentorum exemplum occurrat (Vid. p. 68). Illud quoque suspicari licet hæc verba « *dignitates tribunicias ædiliciasque* » pro tribunatu et ædilitate esse posita.

40. Septimius Severus, qui postea imperator fuit.

Lato clavo ornatus.

Spart., *Septimius Severus*, 1.

« *Octavo decimo anno publice declamavit, postea studiorum causa Romam venit, latum clavum a divo Marco petit et accepit, favente sibi Septimio Severo, adfini suo, bis jam consulari.* »

M. Aurelio vel Commodo imperante.

41. M. Macrinius Avitus Catonius Vindex.

Adlectus inter prætorios. Vid. p. 75-76.

C. I. L., VI, 1449. Romæ.

M(arco) Macrinio Avito M(arci) f(ilio) Claud(ia) Catonio Vindici, co(n)s(uli), aug(uri) p(opuli) r(omani) Quiritium, leg(ato) Aug(usti) pr(o) pr(ætore) prov(inciæ) Mœs(iæ) inf(erioris), leg(ato) Aug(usti) pr(o) pr(ætore) provinc(iæ) Moes(iæ) sup(erioris), cur(atori) civitat(is) Arimin(ensis), p[r]oc(uratori) prov(inciæ) Dac(iæ) Malv(ensis), præf(ecto) alæ contar(iorum), præf(ecto) alæ III Thrac(um), trib(uno) mil(itum) leg(ionis) VI Victr(icis), præf(ecto) coh(ortis) VI Gall(orum), donat(o) donis mil(itaribus) in bell(o) Germ(anico) ab Imp(eratore) M(arco) Aur(elio) Antonino Aug(usto), hast(is) pur(is) II et vexill(is) II, cor[o]na mural(i) et vallar(i), Junia Flaccinilla marito karissimo et Macrinia Rufina patri piissimo. Vixit annis XLII, m(ensibus) V.

Borghesius (*Op.*, III, p. 376) filium eum putat Macrinii Vindicis præfecti prætorio sub M. Aurelio, belloque adversus Marcomannos anno 172 occisi (Dio Cass., LXXI, 1). Vid. Hirschfeld, *Untersuch.*, p. 226, nº 42). Idem suspicatur utrumque oriundum esse ex Macrinio Visco viro prætorio de quo apud Plinium majorem (*H. N.*, XI, 38, Detlefsen). Quod si ita est, exemplum habemus familiæ ex ordine senatorio ad equestrem atque inde rursus ex equestri ordine ad senatorium transeuntem. Haud scio an sit idem ac Avitus ille (cetera nomina ignorantur) qui consulatum anno 209 obtinuit (Klein, *Fasti consulares*).

42. ... Quinctilius?

Adlectus inter prætorios.

C. I. L., VI, 1564. Romæ.

Vid. Henzen, *Nuove Memorie dell' Instit. di Corrispond. arch.*, 1865, p. 286. Cf. Hirschfeld, *Untersuch.*, p. 34, n. 1. Friedländer, *Sittengesch.*, I, p. 166.

[.... *Quinct*]*ilio C(aii) f(ilio)*..... [*adlecto in amplissimum*] *ordinem inter prætorios judici*[*o Imp(eratoris) Antonini Aug(usti), ab epistu*]*lis latinis, procuratori summarum ratio*[*num, procuratori prov(inciæ) A*]*siæ, juridico Alexandreæ, ab epistulis latinis adjutori, procuratori provi*(*nciæ*) *Macedoniæ, ab commentariis Cornelii Re*[*pentini pr(æfecti) pr(ætorio)*].

Titulus repertus in villa quæ dicitur Quinctiliorum. Tamen lectio « [*Quinct*]*ilio* » ex conjectura posita est. Lectio « *Cornelii Re*[*pentini*] *pr. pr.* » videtur certa esse. Fuit Cornelius Repentinus præfectus prætorii sub Antonino Pio (Vid. Hirschfeld, *Untersuch.*, p. 226, nº 40), litterarumque forma est « sæculi secundi exeuntis. » (Momms., *C. I. L.*) Videtur esse ab Aurelio vel a Commodo adlectus.

Commodo imperante.

Multi inter prætorios adlecti.

Capitol., *Pertinax*, 6 : « *Et cum Commodus adlectionibus innumeris prætorios miscuisset...* »

43. P. Porcius Optatus Flamma.

Adlectus inter tribunicios.

C. I. L., VIII, 7062. Cirtæ.

P(ublio) Porcio Optat[o] Flammæ, c(larissimo) p(uero), fil(io) [P(ublii)] Porci Optati Flamma[e], c(larissimi) v(iri), prætoris, inter tribuni[cios] adlecti, quæstoris pro[vin]ciæ Bæticæ, sacerdot[io] Flaviali Titiali judicio dom[ini] n(ostri) sanctissimi et fortissi[mi] Imp(eratoris) Cæs(aris) L(ucii) Septimi Sever[i Per]tinacis Aug(usti) Pii exor[nati], legati ab amplissimo s[enatu] ad eundem dominum [I]mp(eratorem) in Germaniam et [ad] Antonium Cæs(arem) [Im]p(eratorem) destinatum in Pannoni[am] missi, ob debitam pietat[em] memoriæ ejus, C(aius) Volumnius Marcellus Ca[eci]lianus, eq(uo) publ(ico) exornat[us], posuit.

Vid. commentarium Renieri, *Mélanges d'épigraphie*, p. 163, etc. Missio Porcii Flammæ ad Caracallam in Pannoniam, ut ei, vel senatus nomine gratularetur, vel senatusconsultum afferret, ad annum 196 est referenda, quo anno Caracalla imperator destinatus est. Missio ejus ad Septimium Severum in Germaniam non potest nisi ad annum 193 referri, quo anno is imperator ab exercitu factus est. Constat enim Severum eo tempore Germaniæ et Pannoniæ præfuisse, videturque postea in Germaniam nunquam rediisse. Ceterum comperimus legatos a senatu missos fuisse qui milites ab incepto deterrerent, eosdemque a Severo corruptos in partes ejus transiisse. Inter quos Porcius Flamma est adnumerandus. At missio tanti momenti non poterat sane nisi senatoribus eminentioribus conferri, consularibus scilicet vel prætoriis. Unde judicare licet præturam Porcii non esse anno 193 recentiorem adlectionemque ejus inter tribunicios fuisse a Commodo (181-192) decretam.

44. Tib. Claudius Candidus.

Adlectus inter tribunicios, inter prætorios.

C. I. L., II, 4114. Tarracone.

Tib(erio) Cl(audio) Candido, co(n)s(uli), XVvir(o) s(acris) f(aciundis), leg(ato) Aug(ustorum duorum) p(ro) pr(ætore) provinc(iæ) H(ispaniæ) c(iterioris) et in ea duci terra marique adversus rebelles h(omines) h(ostes) p(opuli) R(omani), item Asiæ, item Noricæ, duci exercitus Illyrici expeditione Asiana, item Parthica, item Gallica, logistæ civitatis splendidissimæ Nicomedensium, item

Ephesiorum, leg(ato) p(ro) pr(ætore) provinc(iæ) Asiæ, cur(atori) civitatis Teanensium, allecto inter prætorios, item tribunicios, proc(uratori) XX(vigesimæ) hered(itatium) per Gallias Lugdunensem et Belgicam et utramque Germaniam, præposito copiarum expeditionis Germanicæ secundæ, trib(uno) mil(itum) leg(ionis) II Aug(ustæ), præfecto coh[o]rtis secundæ civium Romanorum, Silius Hospes hastatus leg(ionis) X Geminæ, strator ejus, optimo præsidi.

« Candidum inter Septimii Severi duces celeberrimos fuisse ex Dione (LXXIV, 6; LXXV, 2) novimus; expeditio Asiana quæ hic dicitur bellum ejus est contra Pescennium; Parthica bellum hoc Pescennianum secuta est. Gallica est bellum contra Albinum. Expeditio Germanica secunda est secundum bellum adversus Marcomannos susceptum a M. Aurelio a. 178. » (Ex commentario Hubneri. *C. I. L., l. c.*)

Bellum adversus Marcomannos usque ad annum 180 productum est, quo anno M. Aurelius decessit. Cum Candidus postea procurator vigesimæ hereditatium fuerit, ante adlectionem inter tribunicios prætoriosque, cumque præterea ineunte Severi principatu (anno 193) esset jam ad summum dignitatis fastigium provectus (dux exercitus Illyrici expeditione Asiana) necesse est utraque adlectio fuerit a Commodo (180-192) decreta. Non potest fuisse a Pertinace vel a Didio Juliano decreta (193), cum Candidus ante expeditionem Asianam quattuor prætoriis muneribus functus fuerit. Immo videtur potius ad priorem Commodi principatus partem esse referenda.

45. L. Marius Maximus Perpetuus Aurelianus.

Adlectus inter prætorios.

C. I. L., VI, 1450. Romæ.

L(ucio) Mario L(ucii) f(ilio) Quir(ina) Maximo Perpetuo Aureliano, co(n)s(uli), sacerdoti fetiali, leg(ato) Aug(ustorum duorum) pr(o) pr(ætore) provinc(iæ) Syriæ Cœlæ, leg(ato) Aug(ustorum duorum) pr(o) pr(ætore) provinc(iæ) Germaniæ inferioris, item provinc(iæ) Belgicæ, duci exerciti Mysiaci aput Byzantium et aput Lugudunum, leg(ato) leg(ionis) I Italic(æ), c(uratori) viæ Latinæ, item reip(ublicæ) Faventinorum, allecto inter prætorios, trib(uno) pleb(is) candidato, quæstori urbano, trib(uno) laticl(avio) leg(ionis) XXII Primig(eniæ), item III Italicæ, IIIIviarum curandarum (sic), *M(arcus) Julius Artemidorus leg(ionis) III Cyrenaicæ.*

Ceteros titulos locosque ad eundem pertinentes vide a Borghesio, *Op.*, V, p. 455-481 et a Waddingtonio, *Fastes des provinces asiatiques*, nº 167, digestos illustratosque. Anno 193 prætorius erat, siquidem hoc anno ad obsidendum Byzantium exercitum Mysiacum ducebat, postquam antea jam legionis legatus fuerat. Cum vero ante legationem etiam duobus prætoriis muneribus functus esset (de curatione viarum vid. Momms., *Staatsrecht*, II, 1003; de curatione reipublicæ, Marquardt, *Staatsverw.*, I, p. 488-489), debet aliquot annos ante, id est Commodo principe (181-192) adlectus fuisse.

46. ... Salvius Julianus.

Adlectus inter consulares.

Cass. Dio, LXXII, 5.

Vide de eo Pauly, *Encykl.*, IV, p. 397. De gente Spart., *Didius Julianus*, 1. Fuit nepos Salvii Juliani bis consulis, præfecti urbi, jurisconsulti, avunculus Didii Juliani imperatoris. Erat jam ante adlectionem ad summum dignitatis fastigium provectus, cum dicatur exercitibus præfuisse (Lamprid., *Commod.*, 3. Cass. Dio, LXXII, 5) atque etiam potuisse, si voluisset, in Commodi locum Aurelio succedere (Cass. Dio, *l. c.*). Qui vero cursus honorum ejus fuerit nescimus. Haud scio an præfecturam prætorii adeptus sit. A Commodo interfectus simul cum Tarrutenio Paterno cujus filiam filius ejus erat ducturus.

47. ... Tarrutenius sive Tarruntenius, sive Tarruntius Paternus.

Adlectus inter consulares.

Lamprid., *Commodus*, 4. Cass. Dio, LXXII, 5.

Vide de eo : Pauly, *Encykl.*, V, p. 1223. Hirschfeld, *Untersuch.*, p. 227, nº 43. Friedlænder, *Sittengesch.*, I, p. 167. — Ab epistulis latinis M. Aurelii imperatoris (Cass. Dio, LXXI, 12) ante annum 170 quo Cotinis adversus Marcomannos præpositus cladem expertus est (*ibid.*). Anno 179, haud scio an ut præfectus prætorii, ingentibus copiis præpositus est, Marcomannosque devicit (*ibid.*, 33). Præfectus prætorii sub Commodo principe, per lacticlavi honorem præfecturæ administratione summotus (Lamprid., *Commod.*, 4). Apud Cassium Dionem (LXXII, 5) invenimus eum inter consulares adlectum fuisse. Post paucos dies a Commodo interfectus (Lamprid., *l. c.* et 14. Cass. Dio, *l. c.* et 10).

Commodo vel Pertinace imperante.

48. ... Classetius.

Adlectus inter prætorios.

I. R. N., 1421. Beneventi.

...... *f(ilius) Classetius...*, *c(larissimus) v(ir)*, *natus $\overline{IIII}$ idus [mart(ias)] Annio Largo Prastin[a Me]ssalino co(n)s(ulibus)* (p. Ch. anno 147), *vita funct[us V] idus april(es) Imp(eratore) Antonin[o Aug(usto)] III [et Geta nobiliss(imo) Cæs(are) II] co(n)s(ulibus)* (anno 208), *annos LXI*, *dies*

XXVIII, mortuus vixit ex mens[e oct(obri) Imp(eratoribus) Septimio Severo [III et M(arco)] Antonino co(n)s(ulibus) (anno 202), *annis* [V *men*]*sibus VI, adlectus est inter prætorios a div*[*o Commodo ?.....*]

Marinius restituit, *Arv.*, p. 114. « *Mortuus vixit* », id est quasi mortuus. Querelam hominis habes qui ultimam vitæ partem, sive ob morbum, sive ob aliam causam, inutilem traxit. Potest etiam fuisse a Pertinace adlectus. A M. Aurelio haud ita facile cum annum ætatis trigesimum tertium vix exegisset quo anno is mortuus est (XVI kal. april. 180).

Ineunte Septimii Severi principatu vel aliquot annis ante.

49. T. Flavius Secundus Philippianus.

Adlectus inter quæstorios, tribunicios, prætorios.

Boissieu, *Inscriptions antiques de Lyon*, p. 65. — Melius Mommsen, *Annali dell' Instit. di Corrispond. arch.*, 1853, p. 59. — Allmer, *Revue épigraphique du midi de la France*, p. 30, n° 42.

[*Jo*]*vi de*[*pulsori*], *bonæ Menti, ac r*[*e*]*duci Fortunæ, redhibita et suscepta provincia, T(itus) Flavius Secundus Philippianus, v(ir) c(larissimus), leg(atus) Aug(ustorum trium) prov(inciæ) Lug(udunensis), leg(atus) leg(ionum duarum) I M(inerviæ) et XIIII Gem(inæ), allect(us) inter prætorios, tribunicios, quæstorios, trib(unus) militum leg(ionis) VII Gem(inæ), cum Julia Nepotilia c(larissima) f(emina) sua et T(ito) Fl(avio) Victorino Philippiano, c(larissimo) j(uvene), trib(uno) mil(itum) leg(ionis) V Maced(onicæ), et T(ito) Fl(avio) Aristo Ulpiano, c(larissimo) p(uero), lecto in patricias familias, aram constituit ac dedicavit.*

Tres Augusti non possunt esse Carus, Carinus et Numerianus (282-283), cum Gallienus (253-268) homines ordinis senatorii militaribus honoribus fungi vetuisset. (Wilmanns, *De præfecto legionis. Ephem. epigr.*, 1872, p. 102. — De tribunis laticlaviis vid. Momms., *Staatsr.*, I, p. 527, n. 3.) Sunt igitur Septimius Severus, Caracalla et Geta (209-211). Cum autem Philippianus ante legationem in provincia Lugudunensi bis legatione legionis functus sit videtur a Severo et Caracalla imperatoribus (198-209) vel a Severo solo imperatore (193-198), vel etiam ante inter prætorios, ac multo magis, inter tribunicios et quæstorios adlectus fuisse.

Septimio Severo imperante.

50. M. Coculnius Quintillianus.

Lato clavo ornatus.

C. I. L., VIII, 7041. Cirtæ.

M(arco) Coculnio Sex(ti) fil(io) Quir(ina) Quintilliano, lato clavo exornato ab Imp(eratore) Cæsare L(ucio) Septimio Severo Pertinace Augusto Pio Parthico Arabico Parthico Adiabenico, quæstori desig(nato) post flamonium et honores omnes quibus in colonia Julia Juvenali Honoris et Virtutis Cirta, patria sua, functus est, Florus Labeonis fil(ius), princeps et undecim(us) primus gentis Saboidum amico merenti de suo p[osuit ide]mq(ue) dedic(avit). [L(ocus) d(atus) d(ecreto) d(ecurionum)]. Cf. nº 7042.

Latus clavus fuit neque ante annum 195 datus, quo anno Septimius Severus Adiabenici cognomen adeptus est, neque post annum 210 quo anno idem cœpit Britannicus vocitari. De his verbis « *princeps et undecimus primus* » vid. opus nostrum gallice inscriptum « *Les Origines du Sénat romain,* » p. 200.

51. Filius sororis Septimii Severi imperatoris.

Lato clavo ornatus.

Spart., *Septimius Severus*, 15.

« *Cum soror sua Leptitana ad eum venisset vix latine loquens, ac de illa multum imperator erubesceret, dato filio ejus lato clavo atque ipsi multis muneribus, redire mulierem in patriam præcepit, et quidem cum filio qui brevi vita defunctus est.* »

52. Sex. Varius Marcellus.

Adlectus inter prætorios.

Wilmanns, 1208. Titulus in utraque lingua. Græcus latinum refert. In urna Velitris.

Sex(to) Vario Marcello, proc(uratori) aquarum $\overline{C}$ *(centenario), proc(uratori) prov(inciæ) Brit(tanniæ)* $\overline{CC}$ *(ducenario), proc(uratori) ration(is) privat(æ)* $\overline{CCC}$ *(trecenario), vice præf(ectorum) pr(ætorio) et urbi functo, c(larissimo) v(iro), præf(ecto) ærarii militaris, leg(ato) leg(ionis) III Aug(ustæ) præsidi provinc(iæ) Numidiæ, Julia Soemias Bassiana, c(larissima) f(emina), cum filiis marito et patri amantissimo.*

Pater est Elagabali imperatoris. Vid. Eckhel, *D. N. V.*, VII, p. 244-246. C. V. eum in senatum adlectum fuisse significat, de qua adlectione apud Cassium Dionem mentio facta est (LXXVIII, 30, edit. Boissée). Adlectus autem est inter prætorios cum statim honores prætorios asse-

cutus sit. Quo potissimum tempore fuerit definire difficile est. Mortuus erat quo tempore filius ad imperium accessit, ætatis annum agens decimum quartum, anno 218, eratque post adlectionem duobus prætoriis muneribus functus. Unde forsitan recte putaveris eum ab Septimio Severo (193-211) adlectum fuisse, cum præsertim uxor ejus Julia Soemias Bassiana Juliæ Domnæ Severi uxoris neptis esset.

Septimio Severo vel Caracalla imperante.

53. L. Cœlius Festus.

Adlectus inter tribunicios.

Orelli, 77. Borghesi, *Op.*, IV, p. 128. Titulum paulo truncatum refert, at restitutio certa est. Velleiis.

L(ucio) Cœlio Festo, co(n)s(uli), prætori, proco(n)s(uli) provinciæ Ponti et Bithyn(iæ), præ[f](ecto) ærari Saturni, leg(ato) [I]mp(eratoris) Antonini Au-g(usti) Ast[uri]æ et Gallæciæ, pra[ef(ecto) fru]menti dandi ex s(enatus) c(on-sulto), ad[lect(o) i]nter tribunicios, [respubl]ica Velleiat(um) patrono.

Provincia Asturia et Gallæcia fuit anno 216 vel 217 sub Caracalla principe ab Hispania citeriore disjuncta. Habemus enim titulum quem dicavit pro salute ac diuturnitate M. Aurelii Antonini Pii Fel. Aug. et Juliæ Piæ Fel. Aug. Matris Antonini Aug. castrorum senatus ac patriæ C. Julius Cerealis, cos, leg. Aug. pr. pr. provinciæ Hispaniæ novæ citerioris Antoninianæ, post divisionem provinciæ primus ab eo missus. *C. I. L.*, II, 2661. Titulus hic, in provincia Asturia et Gallæcia, Legione VII Gemina repertus, positus fuit quo tempore Cerealis legationem gessit. At, illo tempore jam consul fuerat, ut ex titulo deprehendimus in quo consulatus memoratur. Fuit autem consul ordinarius anno 215, cumque Caracalla anno 217 obierit, necesse est ejus legatio fuerit anno 216 vel 217 suscepta. Ecce vero alius ejusdem principis Asturiæ et Gallæciæ legatus, L. Cœlius noster, qui non potest nisi post Cerealem fuisse. Itaque, cum pro duobus legationibus spatium modo duorum annorum, 216 et 217, habeamus, opinio succurrit Cœlium non ante annum 217 legationem suscepisse, nisi fortasse Cereali, statim ut provinciam adiisset, morte interempto, successerit, quod quidem multo probabilius videtur, cum legati in triennium vel in quinquennium legationem suscipere solerent (Waddington, *Fastes des provinces asiatiques. Des gouverneurs des provinces et des règles de l'avancement*). Quod si reputamus inter legationem adlectionemque inter tribunicios præturam præfecturamque frumenti dandi fuisse interpositam, concludimus eum fuisse aliquot annis ante 217, sive a Caracalla, ineunte principatu (211-217), sive a patre Severo, principatu exeunte (193-211), adlectum.

54. ... Claudius Pollio Julianus Ælius Gallicanus.

Adlectus inter prætorios.

I. R. N., 1985. Nolæ.

... *Cl(audio) Pollioni Juliano [Æ]lio Gallicano, c(larissimo) v(iro), [X]viro s(enatus) c(onsulto) litib(us) judic(andis), [qu]æst(ori) candidato, [a]dlec(to) inter prætor(ios), [p]ro co(n)s(ule) prov(inciæ) Bætic(æ), [l]egato prov(inciæ) Asiæ, patron(o) col(oniæ), [fl]amini perpet(uo), [o]rdo Augustal(ium).*

Ad eundem pertinet titulus ex quo comperimus eum legat. Aug. pr. pr. G(ermaniæ) s(uperioris) fuisse. Steiner, *Codex inscriptionum romanarum Danubii et Rheni*, 309. Vid. Borghesi, *Op.*, VIII, p. 29-32. Invenimus apud Cassium Dionem, in loco multum corrupto (LXXIX, 2, 3, Boissée), Pollionem quemdam legatum Germaniæ anno circiter 218, imperante Elagabalo, neque tituli nostri forma repugnat quin de eodem utrinque agatur (Borghesi, *l. c.*). Cum autem legatio ea consularis esset, gessissetque antea, præter consulatum, proconsulatum Bæticæ et legationem Asiæ, debet adlectio ejus ad Septimium Severum referri (193-211), vel certe ad Caracallam, ineunte principatu. Haud scio an pro « S. C. LITIB. » « STLITIB. » legendum sit. Habemus quidem exemplum Paquii Scævæ, qui dicitur « *decemvir stlitibus judicandis ex s. c.* » verum additur « *post quæsturam* ». Wilmanns, 1124.

55. C. Porcius Priscus Longinus.

Adlectus inter quæstorios, inter prætorios.

Marini, *Arv.*, tav. LXI. Grüter, 458, 6. Tibure.

C(aio) Porcio C(aii) f(ilio) Quir(ina) Prisco Longino, c(larissimo) (viro), Xviro stlitib(us) judicand(is), adlecto inter quæstor(ios), ab actis sen(atus), æd(ili) cur(uli), adlecto inter prætor(ios), proco(n)s(uli) Lyciæ Pamphiliæ, co(n)s(uli), fratri arvali.

Vid. Marini, *o. c.*, p. 789, etc. De Rossi, *Annali dell' Instit. di Corrispond. arch.*, 1858, p. 60. Henzen, *Acta fratrum Arvalium. Index nominum.* — Fuit is magister collegii fratrum Arvalium bis, annis 224 et 231, imperante Alexandro Severo (223-234). Cum autem summi tantum in re publica viri in collegium Arvalium admitterentur (Marquardt, *Staatsverw.*, III, p. 430), et præsertim legerentur collegii magistri, consulatus Porcii non est Alexandri principatu recentior; immo credibile est eum non esse anno 224 recentiorem. Videtur igitur Porcius inter prætorios a Caracalla (211-218) vel a Septimio Severo (193-211), inter quæstorios a Septimio adlectus fuisse.

Caracalla imperante.

56. C. Æmilius Berenicianus Maximus.

Adlectus inter tribunicios.

Wilmanns, 1212. Allmer, *Revue épigraphique du midi de la France*, p. 250, nº 290. Nemausi.

C(aio) Æmilio Bere[ni]ciano Maxim[o], co(n)s(uli), VIIviro epulon(um), proc[o(n)s(uli)] splendidissimæ provincia[e] Narbonensis, leg(ato) pro pr(ætore) provinc[iæ] Asiæ, prætori supremar(um), allecto inter tribunic(ios) a divo magn(o) Antonino, q(uæstori) urbano, tribun(o) laticlavio leg(ionis) IIII Scythicæ, item VII Geminæ iterato tribunatu, Xviro stlitibus ju[di]candis.....

57. ...Antigonus, Macedo, tribunus legionis.

Adlectus inter prætorios, ob originem, nomina, et singularem artem in equitando. Cass. Dio, LXXVII, 8.

Macrino imperante.

58. Quidam inter consulares adlecti.

Cass. Dio, LXXVIII, 13.

Macrino imperante, vel certe intra annos 217-275.

59. M. Cæcilius Novatillianus.

Adlectus inter consulares.

I. R. N., 1420. Beneventi.

M(arco) Cæcilio Novatilliano, c(larissimo) v(iro), oratori et poetæ inlustri, allecto inter consulares, præsidi prov(inciæ) Moes(iæ) sup(erioris), jurid(ico) Hispan(iæ) cit(erioris), juridic(o) Apul(iæ) et Calabr(iæ), præt(ori), trib(uno) pleb(is), q(uæstori) prov(inciæ) Afric(æ), splendidiss(imus) ordo

Beneventanorum privatim et public(e) patrocinio ejus sæpe defensi, p(ublice) d(ecurionum) d(ecreto).

Vid. Borghesi, *Op.*, V, p. 396, 397. Jam oratoris et poetæ laus tertium sæculum indicat. Neque titulus videtur esse Macrino principe (217) vetustior, siquidem Cassius Dio animadvertit eum aliquid novum fecisse, cum adlectos in consularium ordinem consularibus provinciis præfecisset (LXXVIII, 13. Scilicet ita hic locus interpretandus. Quid enim mirum si eos provinciis præfecisset *prætoriis* cum jamdudum iisdem adlecti inter prætorios præficerentur?). Neque contra est Aureliano recentior (270-275) quo imperante juridici in Italia cesserant jam correctoribus (Borghesi, *Op.*, V, p. 415-416). Immo datum spatium licet magis contrahere, Borghesio auctore, qui opinatur provinciam Moesiam ab Alexandro Severo (222-234) præsidialem factam fuisse (V. p. 397). Cùm autem inter consulares adlectus esset antequam Moesiæ præfectus (juridicus fuit ante adlectionem, nam constat juridicos prætorios a M. Aurelio consularibus ab Hadriano creatis substitutos fuisse. Marquardt, *Staatsverw.*, I, p. 73), haud scio an Novatillianus sit inter adlectos a Macrino in ordinem consularium adnumerandus. Notabile est adlectionem inter consulares, sicut ipse consulatus solet, ante ceteros magistratus et munera, etiam post adlectionem gesta, memorari.

Elagabalo imperante.

60. Adlectus unus vel adlecti plures inter consulares. Verba truncata sunt.

Cass. Dio, LXXIX, 2.

Antonino Pio vel M. Aurelio vel Caracalla vel Elagabalo imperante.

61. M. Flavius Postumus.

Adlectus inter tribunicios.

C. I. L., VIII, 7044. Cirtæ.

M(arco) Flavio T(iti) fil(io) Quir(ina) Postumo, præf(ecto) ærari milit(aris), ordinato in Gallia at quinque fasces, leg(ato) leg(ionis) VI Ferratæ,

prætori, adlecto inter tribunicios ab Imp(eratore) Antonino Aug(usto), curatori coloniæ Ardeatinorum, quæst(ori), pat(rono) IIII col(oniarum), M(arcus) Paccius Rufinus, Q(uintus) Æmilius Pontianus, P(ublius) Nonius Silvanus, A(ulus) Publicius Pontianus, C(aius) Julius Gargilianus, patr(i) optimo, VI d(ies) III[menses.....

Ejusdem est titulus Minturnensis, *I. R. N.*, 4061. Tractavit Mommsen, *Ephem. epigr.*, 1872, p. 128. Imperator Antoninus Augustus num sit Pius an Marcus an Caracalla an Elagabalus certa ratione definiri non potest.

Alexandro Severo imperante.

62. Maximinus senior, qui postea imperator fuit.

Lato clavo ornatus.

Capitol., *Maximini duo*, 5.

« *Occiso Heliogabalo, ubi primum comperit Alexandrum principem nominatum, Romam contendit, quem Alexander miro cum gaudio, mira cum gratulatione suscepit, ut in senatu verba faceret talia* : « *Maximinus, Patres Conscripti, tribunus, cui ego latum clavum addidi, ad me confugit.....* »

Cf. 8 : «... *Occiso Alexandro, Maximinus primum e corpore militari et nondum senator... Augustus appellatus est.* »

Tempore incerto, post Nervam, ante Alexandrum Severum.

63. L. Ovinius Rusticus Cornelianus.

Adlectus inter tribunicios.

C. I. L., II, 4126. Tarracone.

L(ucio) Ovinio L(ucii) f(ilio) Quir(ina) Rustico Corneliano, co(n)s(uli) desig(nato), præt(ori), inter tribunicios adlecto, curat(ori) viæ Flamin(iæ), eg(ato) leg(ionis) Mys(iæ) inferior(is), curat(ori) viæ Tiburtin(æ), curat(ori) r(ei) p(ublicæ) Riciniens(ium), Rufria Ovinia Corneliana fil(ia) patri pientissimo.

« Est *leg(atus) leg(ionis) Mys(iæ) inferior(is)*, ut *C. I. L.*, III, 1701 videtur nominari *leg(io) Vim(iniacensis)*, ut certe *legio Mesiaca* invenitur in titulo urbano annal. 1864, p. 18; nisi erravit quadratarius et pro LEG. AUG. dedit LEG. LEG. » (Th. M.).

Titulus non est Nerva vetustior sub quo primus reipublicæ curator memoratur (Kuhn, *Die stadtische und bürgerliche Verfassung des Römischen Reichs*, I, p. 37.

Ob adlectionem inter tribunicios videtur esse Alexandro Severo recentior. Vide p. 82. Magistratus primo memorantur, deinde munera.

Tertio sæculo, ante Alexandrum Severum.

64. P. Claudius Pallans Honoratus Repentinus.

Adlectus inter tribunicios.

C. I. L., III, 4567. Vindobonæ.

P(ublio) Claudio Pallanti Honorat(o) Repentino, adlecto inter tribunicios, leg(ato) pr(o) pr(ætore) provinciæ Africæ, prætori, leg(ato) pr(o) pr(ætore) provinciæ Asiæ, leg(ato) Aug(usti) leg(ionis) X G(eminæ), C(aius) Jul(ius) Magnus, dec(urio) col(oniæ) Karn(unti), equo publico ex V decur(iis), dignissimo, l(oco) d(ato) d(ecreto) d(ecurionum).

Titulus est certe Trajano recentior. Positus est enim Karnunti, in provincia Pannonia superiore diciturque hic noster legioni X Geminæ præfuisse. Legio autem X Gemina imperante Trajano etiam nunc stabat in Germania inferiore (Momms., *C. I. L.*, III, p. 482. *De Pannoniæ re militari*). Immo, est anno 178 recentior. Exstat enim titulus anni 178 ubi Karnuntum dicitur novissime municipium Ælium (*C. I. L.*, III, 4495). Postea autem appellatur colonia (*Ibid.*, 4236, 4539. Vid. Mommsen, *C. I. L.*, III, p. 550, col. 2). Appellatur autem colonia in nostro titulo quem Mommsenus (*ibid.*) haud secus ac duos supra dictos tertio sæculo censet attribuendum. Ceterum titulus est Gallieno vetustior (253-268), cum is legatos legionis sustulisset (Wilmanns, *De præfecto legionis. Ephem. epigr.*, 1872, p. 102). Quod si ad ea quæ de adlectione inter tribunicios conjecimus recurrimus (p. 82), non videtur esse Alexandro Severo recentior.

Tempore incerto, ante Alexandrum Severum.

65. ...imus Numerius Au.

Adlectus inter tribunicios.

C. I. L., VI, 1474. Romæ. Titulus truncatus. Supplementa damus Mommseniana.

.....imo Numerio Au....., [sevi]r(o) eq(uitum) r(omanorum), allecto in[ter tribunicios, prætori] cand(idato), leg(ato) prov(inciæ) Ba[eticæ, præf(ecto) frum(enti) d]andi, sacerd(oti) jun[...... lu]perc(o), cur(atori) civitate [..... quod, balneo vetustate collapso], in eor(um) min... usui id [reddiderit, et, non m]odo Chalcidicum [c]ollapsam renova[rit, sed etiam cell]am hypocaustam, N[..... i]nstante, extrui c[uraverit.....], vetustate conla[psam re]formari et excoli [præceperit, et divisionem] oleariam pecun[ia sua.....] instituere enisus s[it..., a]nnon(æ) U(rbis) R(omæ) pr(æfecto) Ant(onio) Acuti[o........ ....] quo et ipso petente s[acratissimi Impp(eratores)] æternam immun[itatem iis concesserun]t, quod, immunit[ate impetrata, cum a præfe]cto ad munera vo[carentur, apud impp(eratores) s]upplicando ma[xime instite]rit et quod de [ea re nobis ex]in victis primo judicio jam appellationem ad]juvet et quod o..... m. etiam k.....

Titulus ob adlectionem inter tribunicios non videtur esse Alexandro Severo recentior. Vocabulum « *sacratissimi imperatores* » secundum certe sæculum indicat.

Altera secundi sæculi parte, vel priore tertii.

66. Nomen deest in titulo truncato.

Adlectus inter quæstorios.

C. I. L., VI, 1575. Romæ.

.......aniæ... [ad]lecto int[er quæstorios, de]cemviro st[lit(ibus) judic(andis), sodali Augusta]li, sodali H[adrianali...

Titulus est neque ante Antoninum Pium, qui sodales Hadrianales instituit (Spart., *Hadrianus*, 27), neque post priorem tertii sæculi partem, qua decemviri litibus judicandis sublati esse videntur (Centerwall, *Quæ publica officia ante quæsturam geri solita sint.* Upsaliæ, 1874, p. 41-43), positus.

Intra annos 236-254.

67. M. Ælius Aurelius Theo.

Adlectus inter quæstorios.

Orelli, 3174. Arimini.

M(arco) Ælio Aurelio Theoni, aug(uri), juridico de infinito per Flam(iniam) et Umbriam Picenum, sodali Hadrianali, prætori, tribun(o) plebis,

adlecto inter quæstorios, trib(uno) militum laticlavio leg(ionis) XI Claud(iæ), item tribuno militum laticl(avio) leg(ionis) XII Fulminat(æ), decemvir(o) stlitibus judicandis, ob singularem abstinentiam industriamq(ue) exhibitæ judicat(ionis), ordo Ariminensium patrono.

Legit Mommsen pro « *aug(uri)* » « *v(iro) c(larissimo)*. » *C. I. L.*, III, 90. Ad eundem pertinent duo tituli Bostræ reperti (*C. I. L.*, III, 89, 90), ex quibus apparet eum legatum præsidem provinciæ Arabiæ fuisse, Valeriano et Gallieno principibus, inter annos 253 et 260. Annum 260 ponimus quia tunc Valerianus a Parthis captus est neque videtur postea Gallienus ejus mentionem fecisse (Trebell. Pollio, *Gallieni duo*, 10). Quod si fingimus Ælium anno 260 provinciam Arabiam suscepisse, — neque potuit serius, — reputamusque præterea eum, post adlectionem inter quæstorios, tribunum plebis fuisse, prætorem, juridicum, liquet eam adlectionem nonnisi a Valeriano, ineunte principatu, vel a principibus qui ante venissent, ab Æmiliano scilicet (253), vel a Gallo (251-253), vel a Decio (249-251), vel a Philippo (244-249) decretam fuisse. Quanto magis si provincia ante annum 260 suscepta fuerit. Liceret tunc usque ad Gordianos (236-244) regredi.

Titulus anno 256 positus.

68. Cn. Cæsius Athictus.

Adlectus inter clarissimos viros.

Tres tituli Veiis reperti ex quibus unum legimus ubi tempus docemur quo hic noster vixerit. Wilmanns, 2080 *a*, *b*, *c*.

2080 *c*. *Cn(æo) Cæsio Athicto, allecto inter c(larissimos) vir(os), omnibus honoribus exornato ex ære conlato quam municipes omnis ordo ei contulit in orchestra ludis quos fecerunt P(ublius) Memmius Apulus II(duumvir) et C(aius) Poppæus Priscus II(duum)vir dedicata, kalendis Apriles Maximo et Glabrione co(n)s(ulibus), Olo Ortesio Felice et Nemonio Silvano II(duum)viris Veientium.*

L. Valerius Maximus et M. Acilius Glabrio anno 256 consules fuerunt. Vid. Klein, *Fasti consulares.*

Tertio sæculo.

69. C. Matius Sabinus Sullinus Vatinianus Anicius Maximus Cæsulenus Martialis Pisibanus Lepidus.

Adlectus inter quæstorios.

Orelli, 2242. Marini, *Arv.*, p. 146. Gemonæ.

C(aio) Matio C(aii) f(ilio) Collin(a) Sabino Sullin(o) Vatinian(o) Anicio Maximo Cæsulen(o) Martiali Pisibano Lepido, allect(o) inter quæst(orios), salio Palatin(o), IIIvir(o) a(uro) a(rgento) a(ere) f(lando) f(eriundo), seviro equit(um) roman(orum), flam(ini) Julian(o), patricio, prætori condidat(o), co(n)s(uli).

Plurima nomina tertium sæculum indicant. Ob mentionem factam triumviratus monetalis videtur hic noster ante Gallieni principatum (253-268) honorum cursum ingressus esse (Vid. Centerwall, *Quæ publica officia ante quæsturam geri solita sint.* Upsaliæ, 1874, p. 40-41).

70. L. Valerius Helvidius Priscus Horticola.

Adlectus inter quæstorios

C. I. L., VI, 1530. Romæ.

L(ucio) Val(erio) Helvidio Pris[co H]orticolæ, c(larissimo) v(iro), XVviro [s(acris) f(aciundis), allec]to inter quest[orios .....], seviro [eq(uitum) roman(orum) tur]mæ pr[imæ, ... to.....

« Litteris tertii circiter sæculis. » Eandem fere ætatem compendium *Val.* indicat, duplexque gentilicium. Borghesi, *Op.*, VII, p. 265.

Post primum sæculum tempore incerto.

71. Antonius (?) Vestinus Mallo Annius vel potius Mallonius Romanus.

Adlectus in amplissimum ordinem inter quæstorios.

Titulos duos ex duobus fragmentis utrumque compositum in hunc modum restituere Desjardins tentavit. *Revue de philologie*, 1880, IV, p. 59-67. Cf. Allmer, *Inscriptions de Vienne*, I, nº 60-62, p. 219-227.

a) *[L(ucio) (?) Anto]n(io) (?) M(arci) f(ilio) Vol(tinia) Vestino Malloni [Anni]o*

Romano, *omnib(us) honorib(us) Vienn[æ fun]ct(o)*, *allect(o) in amplissim(um) ordin(em) senat[us, inter quæstorios, ædili curuli, prætori, legato provinciæ Asiæ]*. — Vivariis Allobrogum.

b) *[L(ucio) (?) Anton(io) (?) M(arci) f(ilio) Vol(tinia) Vestino Malloni Annio Romano, omnibus honoribus] Viennæ [functo, allec]to in amplissimum ordinem in[te]r quæstorios, ædili curuli, pr[æ]tori, legato provinc(iæ) [A]siæ.* — Vivariis et Aquis Allobrogum.

De gentilicio « Antonio » vid. Desjardins, p. 64. Compendium scripturæ, « *Anton.*, » rarissimo quidem, tamen aliquando occurrit. Vid. ex. caus. Wilmanns, 65. Cf. 404. Neque eo minus gentilicium illud suspectum habemus, cum præsertim cum litteris quæ in fragmento perdito olim lectæ sunt minime congruat. Allmer, p. 224. Cognomen Mallo et alterum gentilicium Annius, sive nomen Mallonius in unum contractum ex fragmento alio, ipso quoque perdito, accipis. Gentilicium Mallonius in titulo Viennensi reperitur (Allmer, *o. c.*, II, n° 329, p. 534). Item cognomen Mallo in titulo Namnetico (Orelli, 4459). Prænomen Lucius ex conjectura falsa ortum est cum Desjardins immerito censeat Vestinum nostrum eundem esse ac L. illum Vestinum de quo in oratione Claudii in musæo Lugdunensi asservata (col. II). Nempe Vestinus ille, Claudii familiaris, equestri loco erat « *equestris ordinis ornamentum* », idemque videtur postea, Nerone imperante, anno 60, præfecturam Ægypti obtinuisse (vide pondusculum Alexandriæ repertum. Allmer., *o. c.*, II, *Addend.*, p. 1, etc.), atque etiam a Vespasiano curæ restituendi Capitolii fuisse præpositus, « equestris ordinis..., sed auctoritate famaque inter proceres » (Tacit., *Hist.*, IV, 53) Ceterum ex monumento Alexandrino deprehendimus ei Julium nomen fuisse. Atque haud sio an ejus filii fuerint M. Vestinus Atticus qui anno 65 cos. fuit, et L. Julius Vestinus, qui in equestrium numerum curriculo versatus est (Vid. Allmer., *o. c.*, II, p. 116-118, *Addend.*, p. 1, etc. Friedländer, *Sittengesch.*, I, p. 165 et 186). Quid quod Vestini nostri titulum præstabilius est ob plurima nomina post primum sæculum collocare?

72. M. Phædrus.

Adlectus inter prætorios.

C. I. L., VI, 1547. Romæ.

Marco Phædro, c(larissimo) v(iro), consuli, patricio, allecto inter prætorios, legato.

Titulus est primo sæculo recentior, cum Antoninorum tantum ætate homines senatorii ordinis cœpissent dici in titulis viri clarissimi (Friedländer, *Sittengesch.*, I, p. 353-354).

Post primum sæculum, non post priorem tertii sæculi partem.

73. Sex. Oppius Priscus.

Adlectus inter quæstorios, inter prætorios.

Grüter, 446, 3. Titulum ex schedis Ligorianis restituit Borghesius, *Op.*, III, p. 186-187. Quæ alium titulum huic male sutum referunt omisimus.

S(exto) Oppio Prisco, v(iro) c(larissimo), Xvir(o) stlit(ibus) jud(icandis), adlecto inter quæstor(ios), ab act(is) senat(us), ædil(i) [curul(i) vel *candid(ato)], adlect(o) int(er) prætor(ios).*

Curul(i) vel *candid(ato)* supplevimus quia, inde ab Antonino Pio, qui acta senatus curaverant, ædilitatem curulem, per commendationem principis, statim consequi solebant (Momms., *Staatsr.*, II, p. 864). Nequit autem titulus citra Antoninorum ætatem tres ob causas referri: primo quia ea demum ætate vocabulum « *ab actis* » usurpari cœperat — antea « curator actorum » usurpabatur (Hübner, *De senat. populique rom. actis*); secundo quia Trajanus primus instituit ut hoc munus post quæsturam gereretur (Momms., *l. c.*); tertio quia primo sæculo homines senatorii ordinis nondum viri clarissimi in titulis dicebantur (Friedländer, *Sittengesch.*, I, p. 353-354). Præterea titulus non est, ob mentionem decemviratus stlitibus judicandis, post priorem tertii sæculi partem collocandus (Centerwall, *Quæ publica officia ante quæsturam geri solita sint*, Upsaliæ, 1874, p. 41-43).

Tempore incerto, non post priorem tertii sæculi partem.

74. Nomen deest.

Adlectus inter quæstorios.

C. I. L., VI, 1576. Romæ.

.....Xvi[ro stlit(ibus) judicandis], tribun[o milit(um) leg(ionis) ....,] allect[o inter quæstorios a...

Titulus ob mentionem decemviratus stlitibus judicandis non est certe post priorem tertii sæculi partem collocandus (Centerwall, *Quæ publica officia ante questuram geri solita sint*, Upsaliæ, 1874, p. 41-43).

Ætate recentiore.

75. Consius Quartus.

Adlectus inter quæstorios (?) inter prætorios (?).
C. I. L., II, 1270. In provincia Bætica. Vid. p. 76, n. 4.
Duo fragmenta.

Caro.	*Delgado.*
CONSIO QVARTO	CONSIO QVARTO [*adlecto inter ?*]
PRAETORIO[*s ?*]	QVAESTORIO[*s adlecto inter ?*]
QVAESTORIO[*s ?*]	PRAETORIO[*s ?*..................
	..............LEGIONIS..........
	......................SER..........
	................MERITO..........

« Litteræ videntur fuisse ævi recentioris. »

Tempore incerto.

76. ....dius.

Adlectus inter prætorios.
C. I. L., VI, 1558. Romæ.
Frag. a) *....dius T(iti) f(ilius) Ar[n(iensi)....,] pro co(n)s(ule) pro[vinc(iæ) Narbo]nensis,* ....
Frag. b) *cur(ator) viar[um], adlectus [inter prætorios ab Imp(eratore) ......] Germanic[o....*
Inter prætorios supplemus quia curatores viarum senatorii dignitate prætoria erant (Momms., *Staatsr.*, II, p. 1003-1004).

77. ....Flavius...

Adlectus inter prætorios.
C. I. L., VI, 1412. Romæ.
.....Flavio P(ublii) f(ilio)....., consu(li)?..... [p]atricio, all[ecto inter p]rætorios.....

78. Nomen deest.

Adlectus inter quæstorios.

C. I. L., VI, 3845. Cf. *Bullett. com. municip.*, 1877, p. 18, et *Ephem. epigr.*, 1881, p. 289, nº 831. Romæ. Ephemeridis lectionem referimus.

.... *o, c(larissimo) v(iro), [seviro equitu]m romanorum, [tr(ibuno) mil(itum) leg(ionis)....., adlecto inter] quæstorios, curi[oni..., tr(ibuno) pl(ebis) kand(idato), VIIviro [epulon(um)...., pr(ætori) ka]nd(idato), leg(ato) prov(inciæ)..... inf[erioris.*

« Litteræ satis bonæ indicant sæculum fere alterum. » Bormann, Henzen.

Constantino imperante.

Etsi citra Constantini tempora substiterimus, titulos hos referre operæ pretium videbatur.

79. C. Cælius Saturninus.

Adlectus inter consulares.

Wilmanns, 1223. Romæ.

Dogmatii. — Honori. C(aio) Cælio Saturnino, v(iro) c(larissimo), allecto petitu senatus inter consulares, comiti d(omini) n(ostri) Constantini Victoris Aug(usti), vicario præfecturæ urbis, judici sacrarum cog(nitionum), vicario præf(ectorum) prætorio bis in urbe Roma et per Mysias, examinatori per Italiam, præfecto annon(a)e urbis, rationali privat(a)e, vicario summæ rei rationum, rationali vicario per Gallias, magistro censu(u)m, vicario a consiliis sacris, magistro studiorum, magistro libellorum, ducenario a consiliis [sacris], sexag(enario) a consiliis sacris, sexag(enario) studiorum adjutori, fisci advocato per Italiam, C(aius) Fl(avius) Cælius Urbanus, v(ir) c(larissimus), consularis, patri.

Vide *Nuove Memorie dell' Instituto di Corrispond. arch.*, p. 294-298. *Ibid.*, p. 298-332. *Bibliothèque des Ecoles françaises d'Athènes et de Rome*, fasc. XXI. *Etudes d'épigraphie juridique. L'examinator per Italiam*, par Cuq.

80. C. Julius Rufinianus Ablabius Tatianus.

Adlectus inter consulares.

I. R. N., 1883. Atripaldæ.

Tatiani. — C(aio) Julio Rufiniano Ablabio Tatiano, c(larissimo) v(iro),

Rufiniani oratoris filio, fisci patrono rationum summarum, adlecto inter consulares judicio divi Constantini, legato provinc(iæ) Asiæ, correctori Tusciæ et Umbriæ, consulari Æmiliæ et Liguriæ, pontifici Vestæ matris et in collegio pontificum promagistro, sacerdoti Herculis, consulari Campaniæ. Huic ordo splendidissimus et populus Abellinatium, ob insignem erga se benevolentiam et religionem et integrit(atem) ejus, statuam conlocandam censuit.

INDEX NOMINUM

N. B. *Quorum nomina litteris italicis inscripta sunt dubitatio est an ii supra dictum honorem sint vere assecuti.*

Compendia scripturæ : — A. = appendix; — p. = paginæ; — n. = notula.

QUÆSTORIIS ORNAMENTIS DECORATI.

PRÆTORIIS ORNAMENTIS DECORATI.

CONSULARIBUS ORNAMENTIS DECORATI.

CENSORIIS ORNAMENTIS DECORATI.

CENSORIO FUNERE HONORATI.

SENTENTIA PRÆTORIA DONATI.

SENTENTIA CONSULARI DONATUS.

ADLECTI INTER QUÆSTORIOS.

ADLECTI INTER TRIBUNICIOS.

ADLECTI INTER PRÆTORIOS.

ADLECTI INTER CONSULARES.

ADLECTI IN AMPLISSIMUM ORDINEM, SIVE INTER CLARISSIMOS VIROS.

LATOCLAVO DONATI.

NOMINA EORUM DE QUIBUS QUÆDAM AD EOSDEM HONORES PERTINENTIA DISSERUNTUR.

INDEX CAPITUM

PARS PRIMA SIVE PROŒMIUM.

UNDE RATIO EXSTITERIT FUNCTORUM MAGISTRATUUM ORNAMENTA CONFERENDI ET IN ORDINES FUNCTORUM MAGISTRATUUM ADLEGENDI.

CAPUT PRIMUM.

CAPUT SECUNDUM.

CAPUT TERTIUM.

PARS SECUNDA.

DE DECRETIS FUNCTORUM MAGISTRATUUM ORNAMENTIS.

CAPUT PRIMUM.

CAPUT SECUNDUM.

CAPUT TERTIUM.

VIDI AC PERLEGI :

Lutetiæ Parisiorum in Sorbona, a. d.
XV kal. Jan. an. MDCCCLXXIX.

Facultatis Litterarum in Academia Parisiensi decanus,
H. WALLON.

TYPIS MANDETUR

Academiæ Parisiensis Rector

CH. ZÉVORT.

CORRIGENDA

P. 46, l. 10, lege « Rufrio », non « Rubrio »
P. 50, l. 10, lege « Valerii », non « Vari »
P. 53, l. 6, lege « et Bassæi », non « et M. Bassæi »
P. 53, not. 2, lege « Wilmanns », non « Wilmans »
P. 60, l. 6, lege « Augustæ », non « Augusti »
P. 61, l. 9, lege « Nævius », non « L. Nævius »
P. 61, l. 20, lege « Ti. Claudio Neroni Germanico » non « Ti. Claudio Cæsari »
P. 64, l. 13, lege « Bassæum », non « M. Bassæum »
P. 74, not. 4, lege « Wilmanns », non « Wilmans »
P. 76, l. 4, lege « vetustior », non « recentior »
P. 79, l. 4, lege « Antonii (?) Vestini »
P. 113, not. 3, lege « 25 », non « 17 »
P. 140, n° 8, l. 4, lege « *Tertullo, consuli* »
P. 141, n° 13, l. 4, lege « *IIII Scythicæ* ».
P. 142, n° 15, l. 2, dele « *inter tribunicios* (?) »
P. 151, n° 40, lege « L. Septimius »

TOLOSÆ. — EX TYPIS A. CHAUVIN ET FILS, VIA DICTA DES SALENQUES, 28.

ALBERT (Maurice), *ancien membre de l'Ecole française de Rome.* — **Etude sur le culte de Castor et Pollux en Italie.** Grand in-8°, avec planches. 5 50

CAGNAT (René), *ancien élève de l'Ecole normale supérieure, professeur agrégé de l'Université.* — **De municipalibus et provincialibus militiis in imperio romano.** In-8°. 3 50

— **Etude historique sur les impôts indirects chez les Romains jusqu'aux invasions des barbares,** d'après les documents littéraires et épigraphiques. 1 vol. gr. in-8, avec 5 cartes coloriées. 10 »

Ouvrage couronné par l'Académie des inscriptions et belles-lettres.

— **Explorations épigraphiques et archéologiques en Tunisie.** *Premier fascicule*, 1882. Grand in-8, avec 11 belles planches en héliogravure. 7 50

CONS (Henri), *professeur à la Faculté des lettres de Montpellier.* — **La province romaine de Dalmatie.** 1882. 1 vol. in-8 avec une carte. 7 50

COURAUD (Am.), *doyen de la Faculté de droit de Bordeaux.* — **De l'épigraphie juridique.** Brochure gr. in-8. 2 »

CUQ (Edouard). — **Etudes d'épigraphie juridique.** De quelques inscriptions relatives à l'administration de Dioclétien. — I. *L'examinator per Italiam.* — II. *Le Magister sacrarum cognitionum.* Gr. in-8. 5 »

DENIS (J.), *professeur de littérature ancienne à la Faculté des lettres de Caen.* — **Histoire des théories et des idées morales dans l'antiquité.** *Deuxième édition.* 2 vol. in-8. 10 »

Ouvrage couronné par l'Institut de France (Académie des sciences morales et politiques).

DESCEMET (Th.). — **Inscriptions doliaires latines.** Marques de briques relatives à une partie de la *gens Domitia*, recueillies et classées. 1 vol. grand in-8°, avec un très grand nombre de figures. 12 50

FERNIQUE (Emm.). — **Etude sur Préneste**, ville du Latium. 1 vol. gr. in-8°, avec une grande carte et trois planches en héliogravure. 7 50

MARX (Edgard). — **Essai sur les pouvoirs du gouverneur de province** sous la République romaine et jusqu'à Dioclétien. Gr. in-8. 3 50

MÉLANGES d'érudition classique. Hommage à la mémoire de Charles Graux. 1 beau vol. in-8 jésus, avec portrait et planches en héliogravure. 45 »

Tiré à petit nombre.

PERSON (E.). — **Essai sur l'administration des provinces romaines sous la République.** 1 beau vol. gr. in-8. 8 »

PETIT DE JULLEVILLE (L.), *maître de conférences à l'Ecole normale supérieure, professeur suppléant à la Sorbonne.* — **Histoire de la Grèce sous la domination romaine.** *Deuxième édition*, revue et augmentée. 1879. 1 vol. in-18 jésus. 3 50

Ouvrage couronné par l'Académie française et par l'Association pour l'encouragement des études grecques en France.

RIEMANN (Othon), *ancien membre de l'Ecole française d'Athènes, maître de conférences à l'Ecole normale supérieure.* — **Etudes sur la langue et la grammaire de Tite-Live.** 1 vol. grand in-8°. 9 »

SIDOINE APOLLINAIRE. — **Ses Œuvres** (texte latin), publiées pour la première fois, dans l'ordre chronologique, d'après les manuscrits de la bibliothèque nationale, accompagnées de notes des divers commentateurs, précédées d'une introduction contenant une Etude sur Sidoine Apollinaire ; avec des dissertations sur sa langue, la chronologie de ses œuvres, les éditions et les manuscrits, par M. Eugène Baret, *inspecteur général de l'instruction publique.* 1 beau vol. grand in-8°, sur papier vélin. 16 »